F I. J.
371

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
42
2 E
35
FONDO EBORENSE

SVCCESSORES
S. BARNABAE
APOSTOLI
IN ECCLESIA MEDIOLANENSI

ex Bibliotheca Vaticana,

David Camerarius

ET EX MANVSCRIP. ILLVSTRISS. & *Reuerendiſsimi Cardin. Syrleti,*

PER IOANNEM DE DEIS COLLECTI
Iuſſu Pij V. Pont. Max. Anno Domini
M. D. LXXI.

Deinde à R. P. D. Eugenio Cataneo, ex Societate Clericorum Regularium S. Pauli decollati, Aucti, Illuſtrati, & in ampliorem formam redacti, Anno M. D. LXXXIV.

SVPERIORVM PERMISSV.

ROMÆ, Ex officina Accoltiana, in Burgo.
M. D. LXXXIX.

ILL.MO AC REVER.MO
D. D. NICOLAO SFONDRATO
CARDINALI AMPLISS.MO
ET PATRONO OPTIMO

VINCENTIVS ACCOLTVS TYPOGRAPHVS.

MAGNA profecto vtilitas, Cardinalis Ampliſſime, ex hiſtoria quæ vitæ ſpeculum & magiſtra non immerito nuncupatur, præſertim vero ex eorum, qui in Eccleſiaſtica dignitate conſtituti ſunt, monimentis, vel ex honeſta eorundem virtutis, & ſanctitatis commemoratione naſci ſolet. Quæ enim multis abhinc ſæculis geſta ſunt, exiguo volumine com-

comprehenſa in noſtram reuocantur memoriam, & ob oculos ponuntur, vt ex præclaris geſtis normam ſibi quiſque ſuarum componat actionum, ſicut ex hoc de Mediolanenſibus Præſulibus libello expectandum eſſe, late patet. Quem ego libellum auctum & emendatū publicæ conſulens vtilitati, de integro typis mandare decreui, Amplitudiniq. tuæ dedicare mihi viſum eſt: & iure quidem, atque hæreditaria & paterna quadam ratione; qua nobiliſſimæ tuæ Familiæ multis nominibus me deuinctum eſſe fateor, & non mediocriter gaudeo, propterea quòd Iulius Accoltus, Pater meus, Franciſco Sfondrato S. R. E. olim Cardinali, ſumma obſeruantia; ne ſumma dicam familiaritate, coniunctus erat. Quare vt aliqua ex parte officio meo ſatisfaciam, & aliquam animi mei ſignificationē patefaciam, hunc de S. Barnabæ Apoſtoli in Eccleſia Mediolanenſi Succeſſoribus libellū perlibenter dico & dono: Teq. ſuppliciter oro & obſecro, vt me in tuā Clientelam accipere ne dedigneris. Vale. Romæ Kalendis Ianuarij. M. D. L X X X I X.

Lectori Salutem.

MEdiolanum Galliæ Ciſalpinæ Metropolis, populi multitudine refertiſſima, iam inde primum ab ſanctiſſimo Apoſtolo Barnaba Chriſti Ieſu ſacris imbuta, Archiepiſcopos ſanctitatis laude claros, in cæleſtiũ ciuium numero adſcriptos xxxvj. habuit. Habuit præterea nobiles eximia virtute Martyres, Geruaſiũ, Prothaſium, Calimerũ, Naborem, Felicem, Celſum, Nazarium, Sebaſtianum, Victorem & ſocios: Vitalem, & alios complures. Ita, vt iam inde primum à Neronis temporibus, in omni ferè perſecutione egregiis & Martyrum, & Epiſcop. virtutibus ad pietatis, fideiq. tuendæ ſtudium excitata ſit ciuitas Mediolanen. Quare merito Ambroſius: *Agnoſcamus, inquit, chariſſimi circa Eccleſiã noſtram vberiorem diuinorum munerum largitatem. Exultant Felices ſingularum vrbium populi, ſi vnius ſaltem Martyris reliquiis muniantur. Ecce nos populos Martyrum poſſidemus. Gaudeat terra noſtra nutrix cæleſtium militum & tantarum, parens fecunda virtutum. Recte itaq. ei debito filiis parentis Eccleſiæ, horum Beatorũ Martyrum celebrantur inſignia.* Hactenus Ambroſius: Nos Epiſcoporum tantum ſeriem, qui à ſancto Barnaba exordientes, ad noſtra vſque

tem-

tempora, in ea Vrbe præſulati ſunt, texemus, ex hiſtoriis Vrbis, & Eccleſiarum Mediolani, et aliis probatis Auctoribus, a non ſatis vnquam laudato viro, Gulielmo Syrleto Card. Ampliß. nobis traditis.



SVC-

SVCCESSORES SANCTI BARNABAE APOSTOLI

IN ECCLESIA MEDIOLAnenſi ex Bibliotheca Vaticana: & aliis probatis auctoribus.

BArnabas Apoſtolus Cyprius:Hic cum B. Paulo in Apoſtolorum numero adſcriptus, primum Antiochiæ Ieſu Chriſti fidem diſſeminauit. Deinde Tarſi Chriſtianæ fidei præcepta illius vrbis ciuibus tradidit poſt multis peragratis prouinciis Euangelium prædicans ſumma cum audientium vtilitatę aliquot poſt annis, quám Chriſtus Dominus in cœlo aſcendit. Primus per commiſſionem B.Petri Apoſtoli Romanis fidem prædicauit. Deinde ab eodem Petro miſſus in Galliam Ciſalpinam ad prædicandum Ieſu Chriſti Euangelium Mediolanum venit,ibiq. Eccleſiam inſtituit, & fundauit, quam ſeptem annis ſanctiſſime adminiſtrauit, & ibi Antholio Epiſcopo, & ſucceſſore relicto, Eccleſiam Bergomen. & Brixien. inſtituit, & Bergomi relicto Narno ſucceſſore, & Brixiæ Anathalone, Reuerſus in

 inſu-

inſulam Cypri iuſſu Iacobi Hieroſolymorum antiſtitis Eccleſiã Salaminæ Cypri fundauit, in qua adminiſtratione, Neronis perſecutione pro Chriſti gloria, cruciatibus multis affectus, martyrio coronatur: Cuius cineres Mediolanum tranſlatæ. Diu in Eccleſia SS. Naboris, & Felicis ſeu vt modo dicitur S. Franciſci quaſi ignotæ iacuerunt. Poſtmodum á religioſiſſimo Carolo Borromeo Archiepiſcopo Sanctæ praxedis Cardinali in inſigniori loco reconditæ ſunt, & caput Theclis argentéis incluſum, populo cum magna celebritate oſtenditur.

II.

ANatholius Græcus comes peregrinationis, & diſcipulus B. Barnabæ, ab ipſo in Eccleſia Mediolanenſi Epiſcopus ordinatus, tantæ ſanctitatis vir fuit,quod ſolo flatu obſeſſos á Dæmone liberaret. Rexit Eccleſiam Mediolanen. poſt diſceſſum Barnabæ, ſub B.Petro, & Lino, á quo per litteras impetrato Gaio coadiutore.Poſt multas ærumnas,cum Brixię etiam Chriſti fidem propagaſſet, Ob Ieſu Chriſti fidem martyrii palma coronatus eſt. Cuius corpus, á Gaio ſucceſſore, in Cimiterio martyrum ſepelitur. Eius feſtum VII. Kalen. Octobris ab Eccleſia Mediolanenſi celebratur.

III.

GAius Sergius Romanus, B.Barnabæ Apoſtoli diſcipulus, & qui comes ſe ei eunti in Galliam Ciſalpinam adiunxerat, Apoſtolicæ vir-

tutis imitator præclarus SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli deſiderio flagrans, iter ad Vrbem Romã ſuſcepit. In viam dum eſſet, diuina præſenſione vidit eos Neronis iuſſu Martyrium obiiſſe. Romam vbi venit, quod præſenſerat re ipſa factum eſſe cognouit. Cum B. autem Clemente, & Lino, cæteriſque Apoſtolorum diſcipulis, aliquandiu fuit, quibus cum Euangelii prædicationem communicauit, á B. Lino Pont. á quo primum Exorciſta factus fuerat, Epiſcopus creatus eſt, & ad regendam Eccleſiam Mediolanenſem cuius prior coadiutor fuerat miſſus, tanta morum probitate fuit, & vitæ ſanctitate, & erga pauperes charitate, quod in Eccleſia Mediolanen. omnia cõmunia haberentur ſicut tempore Petri Hieroſolymis, & Alexandriæ ſub Marco. Hic prope fontem vbi nunc eſt Eccleſia S. Euſtargii baptizauit multos Senatores, & nobiles Mediolan. inter quos fuerunt Philippus, & filii cum tota domo ſua:& Sophiam Romanam, quæ deinde in ſanctorum numerum á Clemente I. Pont. relata fuit: Vitalem, & Valeriam coniuges, poſtea martyres, & parentes SS. Geruaſii, & Prothaſii, qui etiam paulopóſt præclaro martyrio nobilitati ſunt. Hic primus cimiterium ad ſepeliendos martyres in prædio Caſtritiano dedicauit. Tandem cum multa egiſſet, & graues pro Chriſti fide pugnas in illo perſecutionis Neronianæ impetu ſuſtinuiſſet; accuſatus Paulino proconſule, quód corpora martyrum ſepelire martyrii palmam adeptus á Ca-

ſtritiano & Philippo, fratribus ſepelitur in ſuo prædio. Cuius feſtum Eccleſia Mediolanen. 5. Kalen. Octobris celebrat. Corpus eius in Eccleſia quæ modo dicitur S. Franciſci conditum eſt in ſacello S. Bonauenturæ dicato, Olim martyrum cimiterio nuncupato.

IIII.

CAſtritianus Oldanus ciuis in paſtorali cura ſumma vigilantia incumbens, quæcunque ingraueſcente Domitiani perſecutione, collapſa erant, Mediolani reſtituere contendit. Hic vna cũ Philippo fratre donauit B. Gaio ad ſepeliendum martyres prædium ſuum, in quo poſtea á B. Simpliciano, dedicata fuit Eccleſia in honorem SS. martyrum Naboris, & Felicis. Nunc autem Eccleſia S. Franciſci. Hic primus in Eccleſia Mediolan. inſtituit ritum ordinandi clericos, & præsbyteros ſecundum ordinem S.R.E. Hic corpora SS. Martyrum, Geruaſii, & Prothaſii, in ſuo prædio cœmiterio martyrum ſepeliuit, innumeros ad Ieſu Chriſti fidem conuertit. Baſilicas duas vnã Portianam, alteram Fauſtinianam conſecrauit, tranſlatis SS. Martyrum Vitalis, & Agricolæ reliquiis. His atque aliis pie geſtis rebus, cum vnum, & quadraginta annos Eccleſiã Mediolanen. in ſumma perſecutionum tempeſtate gubernaſſet, multis pro Dei religione laboribus, & certaminibus perfunctus; accuſatus apud Anolinum præfectum martyrio coronatur. Eius corpus deinde in Eccleſia S. Ioannis in Conca tranſlatum eſt. Quam etiam

ipſe condiderat in memoriam S. Ioannis Euangeliſtæ, quando in feruentis olei dolium Romæ miſſus fuit. Eius feſtum Eccleſia Mediolanen. Kalen. Decembris celebrat.

V.

CAllocerius ſeu Callimerus Græcus, á primæua ætate in ſanctorum Pontificum doctrina, & diſciplina educatus Mediolani poſt Caſtritianum á quo Baſilica Fauſtiniana, quæ modo S. Vitalis dicitur præfectus fuerat. Rexit Eccleſiam Mediolanen. á Xiſto I. Pont. ordinatus. Eius religione, diſciplina, & martyrio non ſolum Eccleſia Mediolanenſis aucta atque exornata eſt, ſed etiam liguria pene cuncta eiuſdem virtute ſingulariq. Chriſtianæ pietatis propagandæ labore ſuſcepit Ieſu Chriſti fidem. Hic in vinculis deductos Mediolanum, Fauſtinam, & Iouitam nobiles Brixianos, vbi eorum fides tentata exquiſitiſſimis tormentis tanquam igne aurum in cruciatibus magis enituit, opibus adiuuit, verbo conſolatus eſt, & ad perferendas pro Chriſti nomine ærumnas adhortatus eſt, in eadem perſecutione initio videlicet ſuſcepti ab Adriano Imperii, martyrii palma inſignis quieuit in Domino. Cum Eccleſiam rexiſſet annos 53. ſepultus in Cœmiterio Caii, & deinde in Eccleſia eius nomini dicata tranſlatus; Eius feſtum Eccleſia Mediolanen. celebrat. Prid. Kalen. Aug.

VI.

MOnas Burrius ciuis, quo tempore Epiſco-

pus renunciatus eſt, cœleſti lumine circumfuſus, patrias opes, quas ſatis amplas habebat, pauperibus, & Eccleſiæ donauit. Primus in Vrbe Mediolanen. Eccleſiam in honorem B. Petri Apoſtoli dedicauit, & in ea publice Euangelium Ieſu Chriſti prædicauit. A quodam enim ciue chriſtiano ei domus oblata eſt, in qua Baſilica Petri fundatur, & in memoriam iſtius piæ, & ſanctæ oblationis illius ciuis ſucceſſores decreto Epiſcopi, & Chriſtianorum, poſtea nobiles á Baſilica Petri dicti ſunt. Primus more Pontificum Romanorum Mediolanum parochiis diſtinxit: Eccleſiam ſibi commiſſam non ſolum ieiuniis orationibus, & charitate erga pauperes, ſed etiam martyrii corona decorauit: nam cum LVIIII. annis in maxima perſecutionis tempeſtate munere Epiſcopali ſancte perfunctus eſſet multa fortiter, atq. ex præſcripto Euangelio egit, quibus clarus obiit in Domino 7. Kal. Aprilis; cuius feſtum Eccleſia Mediolanen. 4. Id. Octobris celebrat, quando ab Angisberto Archiepiſcopo. Illius ſacræ Reliquiæ Mediolanum aſportatæ ſunt circa annum Dñi M. C C C. & in Eccleſia S. Vitalis repoſitæ, & ab ea iterum tranſlatæ in Eccleſia Cathedrali ab religioſiſſimo Carolo Borromeo Archiepiſc. S. Praxedis Cardinali Anno Dom. M. D. LXXVI.

VII.

MIrocles ciuis in Aureliana perſecutione á B. Epiphanio Ticinenſi Epiſcopo, cuius erat propinquus, Romam miſſus ad Felicem I. Pont.

in ea

in ea legatione ita probe ſe geſſit, vt mitteretur ab eodem Pont. ad regendam Eccleſiam Mediolanen. quæ per multos annos Paſtoris ſolatio deſtituta fuerat. Vir fuit ſanctitate inſignis, & prudentia admirabilis. Miltiadi Pontifici Romano, & huic commiſſum fuit iudicium in cauſa Epiſcoporum Africæ. Eius aliquando meminit S. Ambroſius in Epiſ. & Optatus Miluetan.lib. 1. hiſtor. Eccleſiam cum rexiſſet annis XXII. in perſecutione Maximiani, eandem Eccleſiam martyrio decorauit. Eius Reliquiæ iacent in Eccleſia S.Victoris ad corpus. Ab Eccleſia Mediolanen. eius diei feſtum celebratur 3. Non. Decembris.

VIII.

PRothaſius Algiſius ciuis S.Mirocles diſcipulus, & in eius doctrina, & moribus nutritus, cum perſecutionum tempeſtatibus pro Eccleſia, proq. religione multis perfunctus laboribus eſſet, tandem in Eccleſia Mediolanen. Chriſtiani á moleſtiis,& perſecutionibus reſpirarunt.A Silueſtro I. Pont. poſt tranquillitatem Eccleſiæ Epiſcopus ordinatur, & ad regendam Eccleſiam Mediolanenſis mittitur. Quanta doctrina, & ſanctitate vir iſte fuerit illuſtris, pares in Synodo Sardicienſi, cui & interfuit, & ſubſcripſit, experti ſunt. Nam eius opera, & doctrina Concilium Sardicienſe ſub Iulio I. Pont. ad finem optatum perductum eſt. Eccleſiam ſibi commiſſam, cum rexiſſet annis XXII. obdormuit in Domino. Cuius corpus in Eccleſia S. Victoris ad corpus condi-

tum eſt, & feſtiuitas colitur 8. Kalen. Decembris.

IX.

MAternus Ciuis qui primum presbyter, ſub Maximiana perſecutione, pro Chriſti fide, cum Mirocle Epiſcopo, aliquando catenis vinctus, interdũ in carcerẽ detruſus, ſæpe verberibus acerbiſſime cæſus, firmo animi robore, cæleſtique conſtantia in perferendis cruciatibus communitus. Tum in populi perturbatione ab impiis tyrannis excitata, magnis laborum contentionibus ad eum confirmãdũ perfunctus eſt. Beatos Martyres Carpophorum, & Fidelem Nouocomum miſit, vbi pro gloria Chriſti dimicarent. Sanctum præterea Victorem martyrem, qui feris, poſt eius necem iuſſu Maximiani obiectus fuerat, nec ab illis tactus, ſex dieb⁹ poſt ab Imperatoriis hortatibus, tranſtulit ad Eccleſiam, quæ deinde eius nomini dicata fuit. Tandem poſt Prothaſium, á Iulio I. Pontif. Epiſcopus creatus eſt. Et cum XX. annis Eccleſiam Mediolanen. ſanctiſſime adminiſtraſſet miraculis clarus quieuit in Domino ſub Felice II. Pontif. Eius corpus in Baſilica Naboris, & Felicis reconditum eſt. Eiuſque feſtum Eccleſia Mediolanen. recolit 15. Kal. Aug.

X.

EVſtorgius in Græcia claro genere natus, primo miles Conſtantini Imperatoris, á quo vna vna cum patribus qui concilio Nicæno interfuerant, miſſus ad Silueſtrum Papam, vt acta Concilii approbaret. In familia Pont. per multos annos verſa-

verſatus eſt, deinde ab eodem Imperatore ad regendam inſubriam miſſus á Damaſo I. Pont. poſt mortẽ Materni Archiepiſcop.electus,& ad adminiſtrandam Eccleſiam Mediolanen. deſtinatus. Quæ res ingentem lætitiam Imperatori attulit, vbi clara virtute Epiſcopus nomineq. ſapientię,& religionis excellẽs Eccleſiam Mediolan.inſtruxit, atque ornauit. Ad Imperatorem cum oratoribus Mediolanen. miſſus, benigne exceptus eſt, & expeditus: et in eorum diſceſſu arcam, vbi corpora trium Regum magorum, qui Chriſtum Dominum in præſepio adorauerunt,é Perſia Conſtanti nopolim in Baſilica S. Sophiæ, vbi auguſtiſſimo apparatu aſſeruabatur,Euſtorgio, & oratoribus donauit in monimentum, & pignus amoris ipſius Imperatoris, erga populum Mediolanen. Quam arcam ſumma perfulſi lætitia ingenti gaudio, & exultatione Mediolanum detulerunt, & in Baſilica quæ poſtea S. Euſtorgii apellata eſt, non ſine prodigio diuino repoſuerunt: vaccæ enim quæ ar cam deferebant ſubſtiterunt in loco illo paluſtri, & ſilueſtri, nec vnquam inde amoueri vlla ope hu mana potuerunt. Placuit enim Deo locum illum, in quo multa SS. corpora ab initio naſcentis Eccleſiæ Mediolanen. iacebant ſine vllo honore, illo miraculo illuſtrare. Cum arca eo loco conſtitiſſet, & in ea ſexcẽti ſeptuaginta annis mira religio ne, & deuotione totius populi aſſeruata fuerunt; ſed demum Federico Æneo barbo Imperatore, Coloniam ab Reinaldo aſportata fuerunt. Hic

ſumma

ſumma ſanctitate, inſigni pietate, admirabili doctrina, & immenſa charitate Eccleſiam ſibi commiſſam adminiſtrauit annis XIX. & miraculis clarus, maxima populi mæſtitia, obdormiuit in Domino. In cuius honore B. Ambroſius Eccleſiam, quam ille condiderat, & in qua repoſuerat corpora BB. Magorum: ob idque dicta Baſilica regum, vbi ipſe multos baptizauerat, amplificauit, & eius corpus in ea repoſuit, a quo & nomen accepit. Eius feſtum Eccleſia Mediolanen. 14. Kal. Octobris celebrat.

XI.

DIonyſius Marianus Ciuis; hic excitata hæreſis Arianæ furoribus perſecutione, & apud Mediolanum ab hæreticis, & catholicis Concilio celebrato, in quo omnes qui conuenerant Conſtantius cogeret aſſentiri abdicationi Tyri factæ ab iniquis iudicibus, ſigillatim aduerſus quoſdam Epiſcopos; deinde vt Athanaſio Eccleſiis eiecto, aliam fidei doctrinam componerent, vt heros inuictus nunquam pro Chriſti gloria, proque gregis commiſſi ſalute dimicare; cumque in perpetua catholici ſtudii conſtantia permanerent, & Athanaſio inhæreret, eique plurimum faueret, á Conſtantio Imperatore Arrianorum fautore, animo mirandum in modum confirmato, in Capadociam prouinciã relegatus, exilium, omnemq. vitæ cruciatum pertulit; ſummo Chriſtianæ pietatis robore; ſicque ibi titulo martyribus propriore, ſpiritum Deo reddidit. Cuius ſacrum corpus B. Baſi-

Baſilius Epiſcopus Mediolanum mitti curauit; illud ſanctus Ambroſius ſacro, & inſigni loco recondidit apud oppidum Caſſanum, & inde ab Angelberto Archiepiſcopo Mediolanum tranſlatum, circa annum Domini M. XXIII. in Eccleſia eius nomini dicata reconditum: ibi per multos annos ſumma populi deuotione iacuit: ſed ingraueſcente bello inter Gallos, & Hiſpanos in Eccleſia Metrapolitana aſportatum fuit. Eius feſtum ab Eccleſia Mediolanenſi 8. Kalen. Iunii celebratur. Libet hic aſcribere quæ de eo, & ſancto Euſebio Vercellenſium Epiſcopo S. Ambroſius ſcribit; ex quibus inſignis eorum virtus, & pietas eximia clarius innoteſcat.

Pro fide quoque exilii dura præoptauit, atque elegit (S. Euſebius videlicet) coniuncto ſibi ſanctæ memoriæ Dionyſio, qui poſt habuit Imperatoris emicitiam exilio voluntario. Itaque memorabiles viri circumdati armis. Vallati exercitu, cum raperentur de Eccleſia maiore triumphabant Imperio: quia contumelia terreſtri mercabantur mentis fortitudinem regni potentiam quibus militaris armorum ſtrepitus extorquere non potuit fidem; ſubegerunt beſtialis animi feritatem, quæ nocere ſanctis nequiuit. Ira enim Regis ira Leonis, vt in prouerbiis habes; confeſſus eſt ſe victum eſſe qui rogabat, vt mutarent ſententiam; ſed illi validiorem calamum ſuum ferreis gladiis arbitrabantur. Denique vlnerata eſt perfidia, vt occideret, non

eſt vulnerata SS. fides. Non deſiderarunt patrium ſepulchrum, quibus reſeruabatur celeſte domicilium: errauerunt toto orbe, vt nihil habentes, & poſſidentes omnia eſſent, locus. Quocunq. miſſi deliciarũ putabatur. Neque enim illis quicquam deerat, quibus fides locuples abũdabat. Denique locupletabant alios ipſi inopes ad ſumptum opimi ad gratiam. Tentabantur, ſed non mortificabantur in ieiuniis, in laboribus, in cuſtodiis, in vigiliis euaſerunt de infirmitate fortes, non expectabant deliciarum illecebras, & quos ſaginabat fames, non adurebant eos torrida æſtatis, quos refrigerabat æternæ ſpes gratiæ. Non frangebat glacialis plagæ frigiditas, quibus feruenti ſpiritu vernabat deuotio. Non verebãtur vincula hominum quos Ieſus ſoluerat. Non deſiderabant redimi á morte qui præſumebant á Chriſto reſuſcitari. Denique ſanctus Dionyſius exegit votis, vt in exilio vitam poneret ne regreſſus confuſa inſtitutis, & vſu infidelium, ſtudia plebis, aut cleri inueniret. Meruitque hanc gratiam vt pacem Domini tranquillo affectu ſecum referret. Itaque, vt Euſebius S. prior leuauit vexillum confeſſionis. Ita B. Dionyſius, in exilii locis, propriore martyribus titulo exhalauit. Hactenus Ambroſius.

XII.

AVxentius Cappadox, poſt Dionyſium relegatum, impiæ infidelitatis armis, exercituque Mediolanen. Eccleſiam ad decipiendam plebem occupauit labe arriauina infectus contra cuius

ius dogmata. Syricius Papa, ſub B. Ambroſio, ſcripſit Epiſtolam ad Eccleſiam Mediolenen. Cuius initium eſt: Optarem fratres; hic peſſimus Archiepiſcopus, cum in multis conciliis, teſte Theodoretto abdicatus eſſet. Tandem repentina morte ſublatus in Infernum ſepultus eſt.

XIII.

AMbroſius Ambroſii Romani filius diuino admonitu, poſt Auxentium Arianum Epiſcopus declaratus; animo cum eſſet ſimplici, & aperto, tum magno etiam, atque excelſo, præſertim diuinæ pietatis zelo motus; ita ſe geſſit, vt Patrum & Latinorum, & Græcorum Baſilii imprimis iudicio, illius ſanctitate, & doctrinæ ſplendore vniuerſa illuſtretur Eccleſia. Cœleſti enim virtute ſua, & admirandæ vigilantiæ ſtudio, Italia pene tota arrianę impietatis tenebris circumfuſa; ad catholicæ fidei lucem reuocata; Quin & Africa ei acceptum fert, quod á Manichæis Donatiſtis, & aliis innumeris huiuſmodi monſtris per ſanctum Auguſtinum, quem ipſe Ieſu Chriſto pepererat, liberata fuerit, & ad veritatis lumen, & Eccleſiæ Catholicæ vnitatem redierit; demum plurimis rebus fortiter, ac religioſe geſtis, & iuuandæ Eccleſiæ laude, & religione, & virtutum vere paſtoralium exẽplis clarus pręſertím eleemoſynę de qua in oratione de tradendis; Baſilius ait: Argentum, & aurũ non quæro, quia inuidiam faciunt: quia aurum erogatur, nec ego hanc inuidiã perhorreſco quia habeo ærarios. Ærarii mei pauperes Chriſti ſunt

ſunt. Hunc noui congregare Theſaurum, vtinam hoc mihi ſemper crimen aſcribant, quia aurum pauperibus erogatur. Hæc ibi multis etiam libris egregie conſcriptis obdormiuit in Domino. Eccleſiæ cum præfuiſſet, annos XXVIII. multa SS. corpora Dei monitu inuenit, inuenta in locis ſacris,& inſignibus collocanda curauit,quæ longum eſſet recenſere. Illud tamen nõ tacendum,magno cum gaudio affectum fuiſſe in inuentione SS. Geruaſii,&Prothaſii,quam recenſet in Epiſtola ad ſororem. Quorum corpora in Baſilica Ambroſiana ſub altari recondidit; cuius cauſam in eadem Epiſtola aſſignat dicens. Succedant victimæ triumphales in locum, vbi Chriſtus hoſtia eſt; ſed ille ſuper altare, qui pro omnibus paſſus eſt. Iuſti ſub altari, qui illius redempti ſunt paſſione. Hunc ergo locũ prædeſtinaueram mihi; dignum eſt enim vt ibi requieſcat ſacerdos, vbi offerre conſueuit, ſed cedo ſacris victimis dexteram portionem, locus iſte martyribus debebatur; hæc ille; non fruſtratus eſt loco ſuo Ambroſius: nam cum defunctus ſub eodem altari deferretur:ſancti in latus ſe mouentes medium illud accepere. Hinc imagines illæ peruetuſtæ S.Ambroſii Epiſcopali habitu cõſiſtẽtis in medio SS. Colabiis indutorum ſicut ſibi apparuiſſe idem Ambroſius refert. Eius dies Natalis eſt pridie Non. Aprilis qui dies quoniam in quadrageſimam cadit, placuit olim Concilii Toletani Patribus, vt eius celebritas transferretur in illius ordinationem, quæ more Romano, Græco,

& Am-

& Ambroſiano agitur, 8. Id. Decembris.

ENODIVS EPISCOPVS Ticinen. eius laudes hoc carmine celebrauit.

EGit quod docuit meritis, & honore ſuperſtes
Ambroſius Vates moribus, ingenio
Roſcida regifico, cui fulſit murice lingua
Vere ſuo pingens germina, quæ voluit.
Serta redimitus geſtabat lucida fronte,
Diſtinctum gemmis ore parabat opus.
Inſtituit populos, geſta probitate, pudore
Fouit reſpiciens, pertulit, admonuit
Vatis vt officium poſtrema pericula poſcunt
Sic teneras culpas qui tacet, inſequitur.
Succinctus gladiis Clypei de pondere tutus
Pectora claudebat textilibus calybis,
Enſis habet vires vitiorum ſector, & hoſtis
Vipera non tangit ſquamea terga viri.

XIV.

SImplicianus Catanius Mediolanenſis ciuis genere, & morum pietate clarus ab ineunte ætate optimis ſtudiis imbutus. Deo ita ſanctitate vixit, vt & doctrinæ, & religionis præclara ei teſtimonia diuini viri, Ambroſius, & Auguſtinus perpetuo dederint. Nam cum omne pene vitæ tempus in litteris conſumpſerit, tum fidei religioniſque cauſa multas orbis partes peragrauit, ac demum

demum Romam venit; qua in vrbe inſigni Chriſtianorum, virtutem claritate ſplendeſceret; morum exemplo,hortatu,doctrinarum præſtantia,ac pia quadam ſolertia Victorinum nobilem rhetorem, ac virum diſciplinis liberalibus eruditiſſimũ, & in primis apud Romanos auctoritate gratiaq. Florentem ab impura Idolorum ſuperſtitione, qua maxime deuinctus erat ad veram Chiſti Dñi fidẽ conuertit. Et quoniam præcellenti ſcientia erat, nam modo philoſophię inſtituta refutauit, philoſophorumq. libros coarguit; verũ etiam de obſcuris quæſtionibus ad eum B. Ambroſius lit teras conſcripſit. Roma autem Mediolanum reuer ſus aliquid de Reliquiis. S. Petri Apoſtoli tranſtuliſſe dicitur. Diu porro fuit Eccleſiæ Mediolanen. Archidiaconus, ad quem Auguſtinus in primis ſe contulit,vt non ſolũ errata ſua philoſophicaq; Platonicę ſtudia ei narraret,ſed illius opera, & auctoritate aditum ſibi faceret ad gratiam cõciliandam Beatiſſimi ambroſii Epiſcopi,quam acquiſiuit tanti viri adiumento,& patrocinio. Erat autem Simplicianus charitate mirifice accenſus, verum diuinarum contemplationibus totus deditus, in officio precum ſumme aſſiduus, pauperum alienaque ope egentium ſtudioſiſſimus, præclarus morum magiſter egregius. Sacrarum litterarum doctor, adque vſque adeo omni virtute præcellens, vt cum á clero ceteriſque omnibus, tum ab Ambroſio Epiſcopo patris loco eximie coleretur. Hunc tã magnificit Auguſtinus (Ab eo enim

in fide

in fide Chriſti; inſtitutus fuerat, & poſt baptiſmũ habitum monachalẽ indutus fuerat;) Apud quem per biennium manſerat; & Epiſcopatus ſui initio libros duos ſcripſit; Ambroſius vero cũ grauiſſime ægrotans non longe ab obitu abeſſet, & in extrema parte porticus, in qua iacebãt in vno poſiti Caſtus, Polemius, Venerius, & Felix, tunc diaconi ſecum tractarent voce ita repreſſa, vt vix ſe inuicem audirent, quis poſt obitum illius Epiſcopus ordinandus eſſet, ad quæ cum de nomine. S. loquerentur, Simplicianus tanquam intereſſet tractatui cum longe poſitus ab ipſis iaceret, voce ter emiſſa, eum dignum pronunciauit, qui ſibi ſuccederet dicens, ſenex ſed bonus, erat enim Simplicianus æui maturior; Archiepiſcopus igitur is creatus, quo anno Carthagine Concilium celebratur, ex ſermone Auguſtini, qui præſens in eo aderat, magnum etiam in Africa nomen, habuit, & ſanctitatis, & doctrinæ; Quamobrem illius Synodi Patres, cum ad Siricium Pontificem legatos miſiſſent, qui de infantibus, apud Donatiſtas baptizatis quærerent quid decernendum eſſet, Simplicianum quoque, per litteras eo ipſo de genere conſulendũ conſueuerunt; Hoc ipſo tempore Mediolani, Honorius Imperator, cum Maria Stiliconis, & Serenæ filia, ſibi quadriennio ante deſponſa, nuptias auguſtiſſima pompa confecit. Optimus autem Archiepiſcopus in Eccleſiæ Mediolanenſis gubernationem curamq. toto pectore incumbens diuinorum officiorum, quæ Sanctus Ambroſius

B inſti-

inſtituerat,ritibus,religione,ac pietatis ornàmen tis illa auxit. Gaudentium Solerium virũ Sanctiſſimum,Nouarię epiſcopum conſecrauit.Alia porro multa egit ſane diuinitus, quæ ab aliis diffuſius ad poſteritatem litteris prodentur. Præfuit Eccleſiæ Mediolan.annis IIII. Siricio Pont. ex hac vita ceſſit.18.Kal.Septem.Anaſtaſio Pont.Max.á quo miraculis clarus relatus eſt in SS.numerũ ſepultus eſt in Baſilica,quæ olim B.Marię.Nunc S.Simpliciani noīne nuncupatur,in qua ipse,et cineres SS. Martyrũ,Siſinii,Martini,&Alexādri ſubaltari maiori condiderat,quæ ei eflagitanti.S. Vigilius tridentinus, Epiſcopus cum infraſcripta epiſtola deſtinauerat, ad vicum Briuium quorum S S. & S. Simpliciani,nec nō Benigni & Geruntii, Archiepiſcoporũ Reliquias, religioſiſſimus Carolus Bor romeus Archiepiſcopus Sanctæ Praxedis Cardinalis, maxima celebritate, & pietate adſiſtentibus, ſibi epiſcopis prouincialibus, in eadem Eccleſia inſigniori loco repoſuit: & ei dicata fuerunt ſequentia carmina, Vrbis nomine.

Mihi eſt Ambroſius pater,patronus.
Illi tu pater & mihi quoque idem:
Te imprimis igitur colam vt parentem:
Tanquam deinde patris patrem,& patroni
Ita ſi aſpiciam paterna iura,
Eris,bis pater & ſemel patronus:

Exemplum litterarum S.Vigilii Epiſcopi Tridentini, in traſmiſſione SS. Reliquiarum, Siſinii Mar-

Martyrii,& Alexandri,ad ſanctum Simplicianum, ex quibus eorum etiam martyrium innoteſcit.

Domino Sancto,ac venerabili patri, bonis omnibus, præferendo Simpliciano; & Vigilius Epiſcopus Tridentinæ Eccleſiæ ſalutem.

Quamuis facta martyrum mentione; non verbis merita,ſed verba mentis cõmendentur,potius que, ſit conſtantiæ, ſilentio præterire, quibus eſt probata virtus; Tamen quia ſuggerere cauſas,loca,pugnasque martyrii impulit; Admonuit debitum,coegit officium,trepidantẽ mœrore linguam paginæ non negaui;Quia nec abſcondi poterat lucerna ſub modio, nec vox pii ſanguinis reticeri; poſt multos namque patientiæ gradus, & ſedulas pugnas reiiciens, acceſſit iniquitas; quibus miniſtri in Eccleſiis,quæ nuper fundatæ fuerant,laceſſiti ſunt ac martyrii titulos cõparauerunt, parati ad omnia, libenter omnia ſuſtinentes, & nulli dantes occaſionem, occaſione gloriæ,gloriam meruerunt. Quorum vitam in ſumma rerum faſtigia referam, propter ſcientiæ notitiam fuit tam ſolicitudinis, quám propoſiti ſingularis. Nam omnes liberi nexu coniugii, Deo immaculatas animas, vt Sanctas Hoſtias præſtiterunt; denique; primus vocabulo Siſinius, nouam Chriſti nominis pacem intulit Barbaræ nationi, quã per annorum ſeriem quod in ſe fuit iugiter cuſtodiuit, nullum conſortium pollutæ ſocietatis agnoſcẽs, velut Loth ſodomis,ſtupẽdo timore reueẽrtiã ſeruauit.Sed ouis to

ta quamuis in luporum medio coſtituta, ouile quę ſiuit. Quod impenſis puſillæ fidei, votis magnificus, primus in illa regione fundauit: cuius miniſter, ſi me eum recenſere dignaris, per hoc velut ex debito eſſe promeruit, ſenex vt æuo, ita merito præceſſerit. Lector quoque, Martyrius, eius adminiculo ſociatus, iam nominis pignore comendante eum, religioſę profectionis exordia, poſt militiã temporalem, Cathecumenus induit; Nam proiecto á ſe cingulo, reiectoque, parentum, vel fratrum carnalium coetu, intelligens ſe verę lucis auctore Deo gratiam conſecutum, inter lectoris officium ſociatus, diuinæ laudis canticum auribus primus ſurdę regionis intonuit. Attentus operibus iugiter ſpiritualibus laſſatus ieiuniisq. continuus; lectioni ſuæ pedagogus, in lucrandis animabus anxius, quam breui temporis impendio, tantum fœnus ante præmiſit, vt illi corona crederetur; Quid liberatas animas referam, in ſinum Abrahæ plena luce profectas, quas ſugeſtio perfida, dierum obſeruantia, alienato iure naturę crudeli morte damnabat. Verum ille ſubductis maternis vberibus lacte turgentibus, peregrinus nutritus, condecentem ſemper quærebat affectum, reſurrectionem exemplis prædicatam, viuentibus oculis dicaturus. Hæc ſunt pauca de multis. Alexander quoque Martyrii conſanguinitate germanus, tertius trinitatis hoſtiam complens, parem confeſſioni ianuam reſerauit. Nam patriam inquam, deinde peregrinus, parentesque deſeruit. Comes

in

in probationibue fidei, fide magnanimus, miſeratione propenſus. Et ſi teſtimonio meo vtique creditur, non ſunt niſi ipſi ſibi, altrinſecus præferendi, quos cōmendari non opus fuit, niſi forte quod decuit. At vero hactenus ſunt alleuata faſtidia, ſi adhuc auribus libenter admittitis. Nam inuitata ſub vno præmio manus, ad ſanguinem conualuit, ac matutinis horis ſe nimiū antecedentis diei volucribus fatigatum, nec aliter lectulo deprehenſum, emerita quiete ſepeliuit. Lector quoque haud vnquam impigre Deo ad miniſterium antelucanum ſeruiebat, cui in ſacrificio diaconus famulabatur & medicinam vulneribus immoratus Martyrius exhibebat. Quam opere, quód deprehenſi ſunt, compleuerunt. Siquidem ſecedens ad hortum lector, qui eccleſiæ cohærebat, captus, vitæ ſuæ arborem á radice plantauit Oſtiarius etiam paſſioni adiunctus eſt, hoſpicio depræhenſus, animam ſuam vt non obtulit, non negauit: verum omnes in vnum collecti, per aliquot ſpatia tracti, Deo animas exſpirarunt: & duorū fidem ductum eſt corpus exanime: tertius vero, quo tenaci vita, ita fuit pœnā ſenſibili: Nam vnius ſuas expectauit exequias. Præparatus eſt dé ſacris Eccleſiæ culminibus ſeu trabibus Rogus. Hæc flamma martyres velauit; reuertente autem voto, cogitamus nobiſcum, vt id loci Baſilica conſtruatur, vbi primum fidei glorioſæ teſtimonium meruerunt; nunc me immeritum in vtroq. conſortem paterno amore conſolare, & cum iiſdem ſanctos apud

 ipſos,

ipſos, exorator accede. Quatenus poſſim die illa fimbriam aut ſacerdotum, aut martyrum, iam omnibus ſepoſitis peccator attingere; ſalutamus ſpeciali ſeruitio ſanctitatem tuam. Quæſo vt mœrorem meum Domino comendare digneris. Item alia manui denegare non potui, quod tuum in nobis erat, glorioſius fieret ſuſcipientis merito, non gratia largientis. Dies autem paſſionis SS. 4. Kal. Iunii ſexta feria, luce naſcente, fuit.

ENODIVS EPISCOPVS Ticinen. eius laudes hoc carmine celebrauit.

AMbroſius linquens viduatæ munia plebis
Tranſtulit ad curam Simpliciane tuam
Succeſſoris opes ſpoliata viſcera regni
Creuerunt merito temporis alterius,
Ac velut annoſam zephiris parcentibus ornum,
Ne metuat bellum longa quies ſolidat,
Tiro tamen felix cana ad rudimemta vocatus
Non flexit paris cum degenerans apicem,
Nil timuit gelidis anima feruente medullis,
Pontificis iuſtus floris habet ſeniam,
Aequora qui recto preſſit terrena patenti
Mollibus, & cultu ſydera cum tetigit

X V.

VEnerius Oldradus ciuis; Is in ſancti Ambroſii diſciplina nutritus (Erat enim eius Diaconus)

nus) quantæ ſanctitatis & doctrinæ fuerit, ex decreto patrum, qui Concilio VIII. Carthaginen. interfuerunt, ex ipſorum ſententia coniici poteſt; ſic enim decretarunt; ſit conſequens, eligendum vnum eſſe e noſtro numero conſacerdotē, qui auxiliante Domino & orationibus veſtris, has ipſas neceſſitates ſuſcipere poſſit, & gnauiter peragendas implere, perrecturus ad tranſmarinas Italiæ partes, vt tam ſanctis fratribus, & conſacerdotibus noſtris, venerabili ſancto fratri Anaſtaſio, ſedis Apoſtolicæ Epiſcopo, quam etiam ſancto fratri Venerio ſacerdoti Mediolanenſis Eccleſiæ, neceſſitatem ipſam, ac dolorem, atque inopiam noſtram, valeat intimare. Hic IX. annis Eccleſiæ ſibi commiſſæ, cum bene, & ſancte præfuiſſet, ſanctitatis gloria illuſtris, Gottorum calamitatibus abiit ad Dominum, cuius virtutes & merita æterna gloria digna B. Ioannis Chryſoſtomi Epiſtola græca celebrata ſunt; eius reliquię, in Baſilica Romana, quæ S. Nazario poſtea dicata eſt, maxima populi frequentia collocatæ fuerunt, cuius feſtum ab Eccleſia Mediolanen. 4. Nonas. Maii celebratur.

ENODIVS EPISCOPVS Ticinen. eius laudes hoc carmine celebrauit.

FOrma pudicitiæ iuuenis ſectandæ Veneri
Venit nominibus nil famulata ſuis

 Fortia

Fortia marcebant vetulo ſub Indice membra,
Aetas præſentem perdiderat puerum.
Sublimis poſtquam conſcendit fulcra Cathedræ
Cana tener populis dogmata diſſeruit.
Aurea fluxerunt locupletis ſtemmata linguæ,
Soluit, ac nitidum, reddidit eloquium
Aluus vt Eccleſiæ tumuiſſet ſemine verbi,
Non deerat partus lactis Apoſtolici.

XVI.

MArolus Innocentii Papæ primi familiaris, egregia ſanctitate clarus. Hic vir ieiunio deditus, vigiliarum ſtudioſus, in orationibus aſſiduus, ab ineunte ætate religionis ardore incenſus: ac de cauſa: Pontifici chariſſimus ab eodē ad regendam Eccleſiam Mediolanen. miſſus, eam per multos annos ſanctiſſime, & intrepide rexit, & tandem multis miraculis clarus ingenti ciuium dolore migrauit ad Dominum: ſepultusque eſt in Baſilica Romana. Quo in ſepulcro poſtea corpora SS. Glicerii, & Lazari Archiepiſcoporum, á Gerūtio Archiepiſcopo, á Baſilica Petri repoſita fuerunt; cuius feſtum 10. Kal. Maii ab Eccleſia. Mediolanen. celebratur; eius laudes Enodius Epiſcopus Ticinen. carmine celebrauit.

ENODIVS EPISCOPVS Ticinen. eius laudes hoc carmine celebrauit.

MArolus extrema optator Tygridis vnda
Qui Iubar in madidis viderat hoſpicij,
Quem labor in proprio Syrię ſolidauerat axe;
Orditur vatem dotibus innumeris,
Peruigil, intentus, ieiunus, prouidus, ardens
Quod morem tenuit, ſat fuit officio,
Os tenerum quoties guſtus contingit honeſti
Tranſit ad affectum, quod furtum perij.
Terra potens olim patribus fundata beatis
Nobilibus mundum partubus irradiat.

XVII.

MArtinianus multas á Gottis perpeſſus moleſtias: pietatis chriſtianæ officio populum Mediolanenſem religioné inſtruxit, & ſanctitate & multis miraculis clarus migrauit ad Dominum cum rexiſſet Eccleſiam Mediolanenſem annis III. Cæleſtino I. Pont. ann.CCCCXVII. ſepultuſq. eſt in æde ſancti Stephani. Eius feſtum 4. Ianuarii ab Eccleſia Mediolanen.celebratur.

ENODIVS EPISCOPVS Ticinen. eius laudes hoc carmine celebrauit.

MEns niuei lactis, ſpecies manifeſta columbæ
Aſtutia ſerpens Martiniane Vale.
Lubrica te dubij dum poſcunt flumina. Vulgi
Inueniunt pauidum, ne mereare legi.
Vnus erat mundo contraria Iudice narrans,
Qui vt caperet regnum, vincere non metuit
Protinus ad magni perductus limen honoris
Exul cælorum ciuibus inſeritur.
Poſt geminas ſanctis conſtruxit mundior ædes
Lumine quas clauſo iuſſit habere diem.

XVIII.

GLicerius Landrianus ciuis, á Cæleſtino primo Pontif. ob morum ſanctitatem creatus Archiepiſcopus, admirabili prudentia Eccleſiæ Mediolanenſi præfuit annis VIII. & ſanctitate clarus Xiſto III. Pont. quieuit in Domino 12. Kal. Octobr. Quo die Eccleſia Mediolanen. eius feſtum celebrat. Corpus eius in Baſilica Romana iuxta corpus Maroli Archiepiſc. á Geruntio Archiepiſc. ex nobilibus, á Baſilica Petri poſtea ſepultum fuit.

ENO-

ENODIVS EPISCOPVS Ticinen. eius laudes hoc carmine celebrauit.

Suffuſus minio per quę optima facta rubeſcẽs
Virginei vultus Glicerius ſequitur,
Puram ſanguineo maculat dum vore figurã
Picta genas facies ſimpliciter placuit,
Cadentem crocea geſtans aſpergine frontem
Læta verecundis tinxerat ora notis,
Indeptus ſceptrum tribuit, quod teſtis Imago
Purpura quem mentis prodidit Imperio
Hunc auo, & populos paruo vix tempore felix
Sed rurſus magni miſſus ad obſequium.

XIX.

LAzarus ciuis, Eccleſiæ Mediolanenſis, á Xiſto III. præfectus eſt, eo tempore, quo Attila Gotthorum Rex. Italiam inuaſit, ab ipſis Gotthis multis moleſtiis affectus eſt; hic primum presbyter Eccleſiæ Mediolanenſis ordinatus á Glicerio, cui poſtea in Epiſcopatu ſucceſſit. Hic primus omnium Archiepiſcoporum, monaſterium diſcipulis B. Auguſtini, in Vrbe Mediolani aſſignauit, XI. annis, Eccleſiæ illi cum præfuiſſet, vitæ ſanctiſſime actæ laudes illuſtris, Leone I. Pont. obdormiuit in Domino, & appoſitus eſt apud patres ſuos, ſcilicet Martinianum, & Glicerium, pariter Archiepiſcopos. Eius feſtum ab Eccleſia Mediolanenſi recolitur. pridie idus Martii. Enodius

dius Epiſcopus Ticinen. eius laudes carmine celebrauit.

ENODIVS EPISCOPVS Ticinen. eius laudes hoc carmine celebrauit.

LAzarus vt diri premeret pede culmina Mundi
Vocibus acutus vix venit in medium,
Quem frons lactea parū vitiis depinxerat hoſtem
Mulctantem culpas luminibus tacitis,
Reſpiciens lapſus deterſit nubila vitæ
Curam ſæpe dedit vulneris obſequio,
Non latuit teſtis facinus qui geſſit in antris
Abſens criminibus tortor vlique fuit.
Innoxius placida vernabat luce ſerenus
Ceu ſpeculum noxiis iniiciens faciem.

XX.

EVſebius paganus ciuis, primo presbyter Eccleſiæ Mediolanen. Poſt diſceſſum Attylę, in Pannoniam, á Leone I. Pont. Epiſcopus creatus; (diu enim ſedes Mediolanen. ob Gottorum furorem vacauerat) vir fuit admirabili doctrina, & ſanctitate. Extat Epiſtola ipſius Synodalis. In qua vna cum ſuis ſuffraganeis, qui eidem ſubſcripſerunt, approbat acta, ab orientalibus patribus, in Concilio Calcedonen. Hic Eccleſia Mediolanenſi ſeptem, & decem annis, pie adminiſtrata ſub Hilario Pont. ſanctiſque inſtitutis exornata, &

ta, & cleri diſciplina ad religioſos mores reuocata, ac diuinorum officiorum libris, belli incendio inflammatis cura ſua reſtitutis, aliisq. diuinitus & mirabiliter geſtis rebus, clarus ſanctitatis gloria, obdormiuit in Domino, Simplicio primo Pont. á quo in SS. numerum relatus eſt. Eius corpus in Eccleſia ſancti Laurentii maioris, reconditum eſt: cuius feſtum pridie idus Auguſti ab Eccleſia Mediolanen. celebratur.

ENODIVS EPISCOPVS Ticinen. eius laudes hoc carmine celebrauit.

EVſebius Ligurum ſucceſſit finibus hoſpes.
Ignotæ tractus plebis amicitia.
Gratus erat ſociis Titan quos reſpicit ortu,
Flammigero lymphas vertice decutiens.
Mitis, compoſitus, largus, pius, integer, audax,
Crederet vt damnum non dare perpetuum.
Fleuit pauperiem, miſeram arriſit habenti,
Gaudia cum cunctis triſtitiamq. gerens.
Reſtat quæ longe ſeruat Rex inclytus æuo,
Quem timuere feri calcantes culmina mundi,
Dilexit ſpernens dira ſupercilij.

XXI.

GEruntius ciuis ex nobilibus á Baſilica Petri Simplicio I. Pont. inuitus Archiepiſcopus creatus; ad Sedem Archiepiſcopalem, quæ ſibi com-

commiſſa erat 7. Kal. Ianuarii acceſſit, magna cleri populique gratulatione. Fuit his temporibus, Italia fœdiſſime vaſtata, ac direpta: nam Heruli, & Thuringi, Barbaræ nationes, irruptionem in eam fecerunt, Duce Odoacro, qui vt erat rerum nouarum cupidiſſimus, ita omnia teterrime perturbauit. Oppida nobiliſſima euertit, & Mediolano imprimis omnem depopulationem intulit. Geruntius autem paſtor optimus, cum ſemper, tum afflictiſſimo hoc tempore, ſanctiſſime ſe geſſit, omnibus charitatis officiis quæ Eccleſiæ in curam ſibi traditæ, ſtudio vigilantiſſimo præſtitit; corpora ſanctorum Archiepiſcoporum, Maroli, Glicerii, & Lazzari in decentiori loco, in Baſilica Romana, reponenda curauit; inſigni igitur pietate, & ſanctimonia, diuinitus teſtificata clarus, cum Eccleſiam Mediolanenſem annis ſex adminiſtraſſet, obdormiuit in Domino Nonis Maii, quo die Eccleſia Mediolanenſis eius feſtum celebrat; ſepultus eſt in Baſilica, Beatiſſimæ Matris Mariæ, ad ſanctum Simplicianum: cuius Reliquiæ vna cum illis ſanctorum Simpliciani, Ampelii, & Benigni, pariter Epiſcoporum, á religioſiſſimo Carolo Borromeo Archiepiſcopo, ſanctæ Praxedis Cardinali honorificentius in eadem Baſilica reconditæ ſunt.

ENO-

ENODIVS EPISCOPVS Ticinen. eius laudes hoc carmine celebrauit.

ECcleſiæ poſtquam parta eſt tibi ſella Geruntî
Funera deceſſor non timuit morbus,
Te reparante redit, patiatur ſors pallida læ-
Viuit poſt obitum diſcipuli precio (tum,
Agricolis vinctus coluiſti germina vitæ.
Nec ſerpens lolium pabula læta tulit.
Qui dedit in medium quam lex iubet optima victum.
Emit terrenis fructibus ille polum.
Errorem mentis preſſiſti lege laborum.
Otia non paſſus, virtutibus veheris.

XXII.

BEnignus quem Græci Bentium nominant, ciuis Mediolanen. generis ſplendore, doctrinæ,& rerum quas admirabiliter, diuinituſq. geſſit, nomine illuſtris, Sanctiſſimo Geruntio, á Simplicio primo Pontif. electus in Archiepiſcopatum ſucceſſit; Mediolanum. Odoacri Herulorum Regis, armis pene exciſum, reſtitui hoc tempore incipit: Templaq. item inflammata inſtaurantur, Eccleſia autem cattholica, per hos ipſos dies, & in Aſia, & in Africa, varie exagitatur. In omni vero perturbatione, S.Benignus de gradu ſanctiſſimæ ſuæ mentis, nunquam dimotus, immo in adminiſtranda Eccleſia Mediolanen. ita ſe geſſit, vt frequentiſſimo populi cœtu pradi-

prædicans Euangelium Dei, ſumma attentione, & admiratione, audiretur. Et pie ſex annos adminiſtrata Eccleſia ſibi commiſſa (Felice III. Pont.) virtutum ornatus meritis, laudeq. ſanctitatis florens, quieuit in Domino 12. Kal. Decem. Quo die eius memoria recolitur, ab Eccleſia Mediolan. eius merita Enodius Epiſcopus Ticinen. Carmine conſcripſit ſepultus eſt, in Baſilica ſancti Simpliciani, & á Religioſiſſimo Carolo Borromeo Archiepiſcopo, ſanctæ Praxedis Cardinali, honeſtiori loco, vna cum S. Simpliciano, Geruntio, & Ampellio, Archiepiſcopis, reconditum eſt, Anno ſalutis noſtræ M. D. L X X X I I. Quo die inter alia poemata, quæ in illorum ſanctorum laudem, edita ſunt, ſequentia vrbis nomine, ſub eius imagine appoſita fuerunt.

In terra alme parens, eras benignus,
Et re, & nomine, nomen eſt tibi idem,
Rem nunc non teneas? Dei ſuprema
Qui in cælis frueris benignitate?
Tua ergo bene fac Benignus Vrbi.

Eius tempore dicuntur repertos fuiſſe cineres ſancti Apoſtoli Barnabæ In Eccleſia Mediolanen. non ſine magna omnium admiratione.

ENO-

ENODIVS EPISCOPVS Ticinen. eius laudes hoc carmine celebrauit.

EXere quæ poſuit mens nomina certa Benigne:
Quem quiſquis vocitat teſtis erit meriti
Cana fides hominũ dum narrat, detegit actus,
Nil loquitur caſum pignoris attonitus
Præſcia venturi non errant vota parentum,
In veram vertunt blanditias ſobolem.
Ante patrem cenſens ſedit plaudente ſenatu
Prælatum ſanctis extulit ille caput
Pollice, ſed duro ceu flos ſucciſus aratro eſt
Spes, decus, & genitus de foribus cecidit.

XXIII.

SEnator Settarra ciuis, á Gelaſio primo Pont. creatus Archiepiſcopus: ſumma cum laude, laborum, tolerantia, officio charitatis in pauperes, gregem ſibi commiſſum, vitæ irreprehenſibilis, & doctrinarum ſcientia illuſtris cum ſediſſet annos quatuor, ſub Gelaſio I. Pont. quieuit in Domino; Sepultuſq. eſt maxima totius populi frequentia in Eccleſia ſanctæ Euphemiæ: Cuius ſanctitate miraculis diuinitus declarata, Anaſtaſius II. Pont. in ſanctorum numerum retulit. Eius feſtum 5. Kal. Iunii, ab Eccleſia Mediolanen. celebratur. Enodius Epiſcopus Ticinen. carmine celebrauit illius virtutes, & merita.

ENODIVS EPISCOPVS Ticinen. eius laudes hoc carmine celebrauit.

Qui modo trabeas ſolium cinctumq. gabinum,
Conſulibus præſtans ecce Senator adeſt.
Ingenium velox, ſermonis cura rotundi,
Virtutum pretium forma pudicitiæ.
Abdita librorum myſteria clauſa prophætæ
Qui dedit in lucem ſtemmate quæ voluit.
Orbis ad extremi miſſus ſecreta verendis
Curauit ſtudiis quod fuerat lacerum.
Tunc oriens victum peregrino lumine faſſus,
Hæſit ad aſpectum lampadis alterius.

XXIV.

THeodorus Medices ciuis; hic primus amplificandæ iuriſdictionis Archiepiſcoporum Mediolani, viam inuenit; obtentis, á Gelaſio primo Pontif. conceſſionibus decimandi omnia, & qualiacunq. bona, ciuium, & Forenſium, Mediolanen. Quæ conceſſiones deinde á Theodoro primo Pontif. Ioanni Bono Archiepiſcopo conceſſæ fuerunt. Sedit annos X. ſub Gelaſio primo, Anaſtaſio ſecundo, ac deinceps Symmaco pontifice.

ENODIVS EPISCOPVS Ticinen. eius laudes hoc carmine celebrauit.

TV lux certa tuis ſpes tu fidiſſima rerum
Vatis apoſtolici tu Theodore vigor.
Tu virtutum cumulus ſubſtantia ludida veri
Monſtrat aceruatis quem labor in ſtudiis
Praſcius accinctus, fortis, tranquillus, amicus
Compoſitus ſimplex tu bonus, & ſapiens.
Fatidicus ſemper tibi conſcia corda futuri
Deprenſum fluxit te reſerante malum.
Quam propter varios contendens vicerat æſtus,
Vxor ad alterius tranſierat copulam.
Cauſa querelarum ſimulato nomine vera eſt,
Huius verba precor comite vos placidi.

XXV.

LAurentius Litta ciuis; huius nominis primo á Symmaco Papa, in 3. & 4. & 5. Syn. Rom. ſummopere laudatus: quibus actis omnibus interfuit, & ſubſcripſit, iis propriis verbis: Laurentius Epiſcop. Eccleſiæ Mediolanen. huic ſtatuto noſtro, in quo totam cauſam Dei iudicio commiſimus, ſubſcripſi; & poſt eum ſubſcripſit, Epiſcopus Rauennas. Ex quo colligit Gratianus ex eo, quod in hoc Concilio, & in alia Syn. Symmachi Papæ; Mediolanen. Epiſcopus ſubſcripſerit, & reſponderit, ante Epiſcop. Rauennan. eum habere ſedis prærogatiuam. Quantæ autem authoritatis præ-

ſul iſte apud Symmacum Papam fuerit, coniici poteſt ex eiuſdem Symmachi epiſtola in qua requirit ipſum Laurentiũ vt acta á patribus in ſexta Romana Synodo, velit approbare, & ſubſcribere, Eccleſiam ſibi commiſſam, cum ſanſtiſſime gubernaſſet annos X X. eodem Symmacho, deinde Hormiſda, ac Ioanne primo Pontif. migrauit ad Dominum, ſepultuſq. eſt in Baſilica, ſancti Laurentii Maioris.

XXVI.

EVſtorgius, huius nominis, ſecunda natione *Græcus*, diſcipulus Ioannis Damaſceni, Gelaſio primo Pontif. Romam venit, cum Ioanne Alexandrino, á Felice I I I. Pont. Archiepiſcopus creatus, clara virtute, & religionis excellens diuinis monumentis, inſtruxit, & ornauit Eccleſiam Mediolanen. quam ita ſanctiſſime rexit annis V I I I. ſub Fœlice IIII. Bonifatio, Ioanne II. Deinde Agabito primo, tum Syluerio Pont. & ab hoc, ſub quo obdormiuit in Domino, in SS.Confeſſorum numero adnumeratus fuerit. Huis meminit Caſſidorus in epiſt. eius corpus in Eccleſia S.Laurentii maioris conditum eſt.

XXVII.

MAgnus Trincherius ciuis, Syluerio Pontif. Archiepiſcopus factus. Eius vita ſemper admiranda abſtinentia, ſanctitate, diuinaq. miraculorum virtute, eluxit, & pie religioſeq. Epiſcopali munere perfunctus, eodem Pontif. obiit in Domino cum ſediſſet annos III. ſepul. in Eccleſia ſancti

ſancti Euſtorgii. Eius memoria Kal. Nouembris ab Eccleſia Mediolanen. recolitur.

XXVIII.

DAcius Aliate ciuis; Vigilio Pontif. creatus Archiepiſcopus, ob multas, á Gotthis perpeſſus iniurias, magno ciuium Mediolanenſium numero profectus ad Conſtantinopolitanam vrbem ad imperatorem Iuſtinianum á quo Belliſarium Ducem in Italiam mitti impetrauit ad Gotthorum gentem debellandam, cui etiam maximo adiumento fuit, ad hoc præſtandum. Hic ſcripſit hiſtoriam ſui temporis, & vitas prædeceſſotum ſuorum. Ad eundem extat Epiſtola Caſſiodori Senatoris de ſubleuanda egentiũ paupertate. Eiuſdem meminit S.Gregorius Papa in Dialogis: Vt pote, qui clarus extiterit ſuper Demones. Is cum Eccleſiam Mediolanenſem, duos,& viginti annos ſub Pelagio primo. Deinde Ioanne I I I. Pont. religioſe adminiſtraſſet, Epiſcopalium virtute, & miraculorum laude clarus, quieuit in Domino. Sepultus in Eccleſia ſancti Victoris ad corpus,& in ſanctorum numerum adſcriptus eſt. Eius feſtum Eccleſia Mediolanen. celebrat 19.Kal. Februarii.

XXIX.

VItalis ciuis, á Ioanne I I I. Pontif. Archiepiſcopus creatus, Eccleſiam Mediolanen. rexit annis IIII. ſub eodem Pont.

XXX.

AVxanus Cribellus ciuis: Ioanne III. Archiepiſcopus factus; eo tempore præfuit Eccleſiæ Mediolanen. quo Albuinus Longobardorum Rex inuaſit Italiam, á qua gente, multás moleſtias, & incommoda pertulit. Hic in prædicationis officio diligenter verſatus, Eccleſia ſibi commiſſa ſanctæ adminiſtrata annis II. miraculorum laude florens, obdormiuit in Domino; ſepultuſq. eſt in Eccleſia ſancti Stephani. Eius feſtum nonis Septembris ab Eccleſia Mediolanen.celebratur.

XXXI.

HOnoratus, á Caſtigliono ciuis, Vir eloquentia, & ſanctitate, ornatus. Nonnulla in diuinis ſcripturis comentaria cōpoſuit. A Benedicto primo Pont. Archiepiſcopus factus. Qui cum Albuini Longobardorum Regis expaueſceret furorem, Eccleſiam ſibi commiſſam deſerens ad tempus, ad Ianuenſium Vrbem confugit: vbi nobilis eximia virtute vir rerum, quas conſtanti Chriſtianæ religionis exercitatione geſſit, gloria clarus obiit in Domino; eodem Pontif. cum ſediſſet annos III. Eius feſtum 6. Kal. Martii ab Eccleſia Mediolanen. celebratur. Huius meminit Paulus Diaconus.

XXXII.

IVnctus Frunco ciuis, Symoniacus, ope Regum Longobardorum fretus, ſedem Archiepiſcopalem occupauit.

XXXIII.

LAurentius huius nominis II. contra Frontonem, á Pelagio II. Pontif. creatus archiepiſcopus. Ita ſe placide ac modeſte, in adminiſtranda Eccleſia ſibi commiſſa geſſit, vt Frunćto cum ſuis ſequacibus furore populi, ex vrbe Mediolani expelleretur ſedit annos XII.

XXXIIII.

COnſtantius Ciuis, diaconus Eccleſiæ Mediolanen. diuo Cregorio Pontif. notiſſimus, de quo ſic inquit in Epiſtola ad Romanum patritiũ: Meus eſt enim proprius, olimq. mihi fuit magna familiaritate coniunctus, Hic poſt Laurentii obitum, á presbyteris, diaconis, & clero Mediolanenſi, omnibus denique ſuffragiis electus, ſancto Gregorio per Magnum presbyterum, & Hippolytum clericum per Epiſtolam inſinuarunt. Quæ quia ſine ſubſcriptione erat, ipſe ne quid, quod ad cautelã pertineret, omitteret, Ioanni ſubdiacono mandat, vt Genuã ſe conferat; vbi multi Mediolanenſium, Barbarica feritate coacti, cõſiſtebant; & eis conuocatis, eorum voluntates, in commune perſcrutetur. Et ſi nulla eos diuerſitas, ab electionis vnitate diſterminet (ſiquidem in prædicto Conſtantio, omnium voluntates, atque conſenſum perdurare cognoſcat.) Tunc eum á propriis Epiſcopis, ſicut antiquitatis mos exigit, cum eius authoritatis aſſenſu, ſolatiante Domino, faciat conſecrare. Eundem eadem de cauſa, Romano patritio, & Exarcho Italię commendat. Conſecratus,

tus, ad Eccleſiam ſuam profectus eſt, & á ſuis bene receptus. Qua de re per Epiſtolam congratulatus eſt illi, & admonet ſe tranſmiſiſſe pallium, ad ſacra miſſarum ſollemnia vtendum: eum in multis epiſtolis ad Theodolindam Reginam Longobardorum laudat, hortaturq. vt quia á quibuſdam Epiſcopis ſeducta fuerat, & ſe ſeparauerat ab illius cõmunione, ad vnitatem redeat, ob idque etiam efficacius perſuadendũ Ioannem Abbatem, & Hippolytum notarium tranſmiſit ad eum, vt eccleſiaſticę diſciplinę reparatorem vna cum Venantio Lunenſi Epiſcopo, committit viſitationem quorundam locorum religioſorum Laudenſium, qui ab tramite diſciplinę deuiaſſent. Et mandat vt canonica vltione corrigat, quos á Canonum ſtatu tis receſſiſſe repererit, quod & præſtitit. Nam ipſum Gregorium conſuluit, quid de quibuſdã Depoſitis agendum eſſet & quomodo ad pœnitẽtiam forent deputandi: Eidem cauſam Maximi Epiſco pi Salonitani committit, qui tam nimietate præcum, quam atteſtatione bonorum operum preualere diu cum Gregorio contenderat. Tandem quantum eum dilexerit, patet ex Epiſtola 86. libro 7. Illi enim reliquias ſancti Pauli, necnon ſanctorum Ioannis, & Pancratii direxit. Qui cum per annos VII. Eccleſiam Mediolanen. rexiſſet, ſollicitus, vt ait idem Gregorius, in Eccleſiaſticæ regula diſciplinæ, & vigilans in tuitione Ciuitatis Mediolanen. abiit ad Dominum. Hic ſubſcripſit Epiſtolæ ſancti Gregorii, in qua multa priuilegia

con-

conceſſit. Gairaldo Abbati S.Medardi monaſte-rii Sueſionenſis.

XXXV.

A Deodatus Diaconus Eccleſiæ Mediolanen. Quoniam obeunte paſtore, ſine proprio, Eccleſiam illam, non decebat eſſe Antiſtite: á Clero, & populo, Deo authore, vnanimi conſenſu eligitur: quod omnino fuit gratum S. Gregorio licet non moribus: ſed ſolum ſpecietenus, ei notus eſſet. Et quia nihil erat, quod ei ex anteacta vita, per ſacros poſſet canones obuiare: Et ad tenendam diſciplinam, vel exhibendum regimen, idoneus repertus eſt, decreto ipſius ſolenniter eſt ordinatus. Et ne vlla mora, in eo ordinando poſſet contingere, propter minas Agiulphi Longobardorum Regis, qui alium eligere vſurpatione præſuntionis minabatur. Pantaleonem notarium ſuũ tranſmiſit ad vrbem Ianuenſem, qui eum, annuente conſenſus ſui authoritate, conſecrari fecit. Hic in Eccleſia Mediolanenſis adminiſtranda contra edicta & furorem, Regum Longobardorum, intrepide ſe geſſit: Et ideo á Gregorio Pont. ſummopere dilectus. Qui cum Eccleſiam ſibi commiſſam, rexiſſet annis XXVIII. Gregorio, deinde Sabiniano I. poſt, Bonifacio III. & IIII. poſt, Deodato, tum Bonifacio V. migrauit ad Dominum, Honorio I. Pont.

XXXVI.

A Vſtergius Romanus, ab Honorio primo, Archiepiſcopus creatus, & ad regendam Eccle-ſiam

ſiam Mediolanenſis profectus, veſtigia Deodati ſui predeceſſoris, in regenda, & adminiſtranda Eccleſia ſibi commiſſa ſecutus eſt. Qui cum ſediſſet annis IX. eodem Honorio primo Pont. quieuit in pace.

XXXVII.

PHortius Seuerino primo Pont. Archiepiſcopus factus, ob morum grauitatem, & vitæ integritatem, á Theodolinda Longobardorum Regina, ſummó honore habitus, ipſam Reginam, ad charitatis exempla reuocauit: ſedit annos III.

XXXVIII.

IOannes Bonus Ianuenſis patria, Theodoro primo Pont. manſuetudine, religione & doctrina clarus aſſumptus ad regendam Eccleſiam Mediolanen. ab eodem Pont. miſſus ad viſitandam Theodolindam Reginam: cuius intuitu multas ſacras ædes, magnis ædificiis, propria impenſa fabricauit & plurimos fundos & prædia, eiſdem Eccleſiis aſſignauit: & pręcipue Eccleſiam celebrem in honorem S. Ioannis Baptiſtæ in Modoctia, attributis multis redditibus, & bonis mira opera fabricauit, & multa donaria, quæ adhuc poſſunt videri, impertiit: Et omnia bona Eccleſiarum, á Longobardis ablata reſtituit. Eius filia Cundiberga, quæ Rodoaldo VII. Longobardorum Regi nupſit religionis matris imitatrix facta, ſicut, illa Modoetiæ, ſic ipſa in Papienſi vrbe, eidem Ioanni Baptiſtæ, templum mirificum ædificauit plurimo apparatu auri, & argenti. Hic Archiepiſcopus ab eodem

eodem Pont. conceſſiones decimandi omnia bona Ciuium Mediolanen. á Gelaſio primo Pont. conceſſas obtinuit. Et miraculis clarus obdormiuit in Domino, cum ſediſſet annos X. Magno populi,& Ciuium dolore. Cuius funeris exequias Regali magnificentia, & impenſa, ipſa Regina curandas mandauit, & propriis manibus, incredibili humilitate in nobili ſepulcro repoſuit. Eius feſtum celebratur in Eccleſia Mediolanen. quarto idus Ianuarii.

XXXIX.

ANtonius Fontana ciuis, Deodato II. Pontif. Archiepiſcopus creatus, in extirpandis Longobardorum hæreſibus ita inuigilauit, & paſtoralis officii exemplo pie vixit, & in omni vita admirabilis, Epiſcopaliumq. virtutum laude ita inſignis fuit vt viuens ab omnibus tanquam ſanctus, ac beatus veneraretur. Eccleſiam adminiſtrauit ann. III. poſt quos abiit in cœlum. Sepultum eſt corpus ipſius in Eccleſia ſancti Simpliciani, & anno LXXXII. ſupra M. D. in celeberrima illa tranſlatione facta ab religioſiſſimo Archiepiſcopo Carolo Borromeo S. Praxedis Cardinali honeſtius tumulatum fuit.

XL.

MAuricillus Domno primo Pont. magnam populi totius Eccleſiæ Mediolanen. ob morũ probitatem, & vitæ ſanctitatem, de ſe conceperãt opinionem. Sed cum tantum per tres menſes præfuiſſet Eccleſiæ ſibi commiſſæ, magno omnium

mœrore

mœrore obdormiuit in Domino.

XLI.

AMpelius eodem Domno Pontif. Archiepiſcopus factus, cuius eluxit ſanctitas, tum religioſe factis, tum in miraculis, ad eius ſepulchrũ diuine editis, tandem in ſanctorum numerum relatus eſt á Ioanne V. Pont. eius feſtum 8. idus Iulii Eccleſia Mediolanen.celebrat: eius corpus poſitum eſt in Baſilica ſáncti Simpliciani, & eadem tranſlatione ſolemni facta, M.D.LXXXII. veneratum eſt. In qua tranſlatione ſequentia carmina edita ſunt.

Terræ vitis eras liquore dulci:
In cœlo quid eris? tuus liquor iam
Non eſt Ampelius; magis vocandus
Eſt nunc Ambroſius: duo mànent vos
Ciues Ambroſij; patronus ille,
Et qui ante Ampelius fuit ſuperſtes,
Hem nos reſpicite optimi parentes,
Liquorem date filiis ſupernum.

XLII.

MAnſuetus Sabellus Romanus Archiepiſcopus, qui virtutibus, & inſigni doctrina, & rerum diuinarum ſcientia, ita floruit, vt admirabilis omnibus patribus in 6. Synodo Conſtantino politana ſub Agathone primo Pont. videretur, & admiraretur, ſumma laude, & doctrina, in eo Concilio interfuit, & ſubſcripſit, in hæc verba:

Hæc

Hæc eſt vera Dei,& hominis fides, vt duæ credantur in Deo voluntates, duæque operationes: eodem modo ſubſcripſit S.Damianus Epiſcopus Papienſis cum prius ipſi, & alii plerique occidentalas Antiſtites, tum ob itineris difficultates, tum per ætatem, & morbos, ad eam Synodum 6.Conſtantinopolitanam proficiſci non poſſe crederent: apud Mediolanum Synodum habuiſſent, & cenſuiſſent mittendas litteras ad Conſtantinum quartum eius nominis Imperatorem quibus ſuam exponerent fidẽ. Quæ adhuc extant in ſecundo tomo Conciliorum. Quæ incipiunt: Dño ſereniſs. atq. tranquilliſs.& á Deo coronato religioſiſs. Conſtãtino Imperatori. Manſuetus Mediolanen. Metropolitan. Eccleſiæ indignus epiſcopus, vel vniuerſa ſancta Epiſcoporũ fraternitas, quæ in hac magna regia vrbe cõuenit, æternum in Domino ſalutem. Si apicem imperialis faſtigii, & infulas ſacratiſſimæ poteſtatis, auis, & proauis veſtris cælitus attributum cognouimus, & pro meritorum actibus ad vos propagatum ſcimus: dignum eſt iis vos æquiparare veſtigis, quorum & celſitudinem obtinentis, nec diſparilia debent eſſe inſtrumenta cœleſtia vbi paria poſſidentur ſceptra regalia, & quæ ſequuntur. Tandem cum ſediſſet annis V: ſanctiſſime admininiſtrata Eccleſia ſibi commiſſa,& ab vniuerſa fidelium Eccleſia ſummo honore habitus, quieuit in Domino, & ſepultus eſt in Eccleſia ſancti Ambroſii. Eius feſtum 11. Kal.Martii Eccleſia Mediolan.celebrat.

XLIII.

BEnedictus Criſpus, ciuis Archiepiſcopus á Sergio primo Pont. creatus, in tota Italia nõ ſolum in humanarum, ſed & in diuinarum eruditionum ſcholis inclytus, & clarus fuit, nõnulla cõmentaria laude digna compoſuit. Qui cum Romæ etiã cauſam pro Papienſi Eccleſia diu egiſſet, perdidit: quia ibi declaratum fuit Papienſem Epiſcopum Romanę Sedi tantũ, non Mediolanenſi Epiſcopo obtemperare debere. Cum iam prius Criſpinus Papien. Epiſcop. Epiſtolæ Synodicę, quam Euſebius Archiep. Mediolanen. coacta Synodo Epiſcoporum prouincialiũ confecerat, & ad ſanctum Leonem primum Pont. tranſmiſerat, ſubſcripſiſſet. Et Damianus itidem epiſtolæ conſcriptæ ad Conſtantinum IV. Imperat. Cuius ſuperiori capite mentio facta eſt. Romæ cum hic Archiepiſcopus degeret, Ceadual Rex Angloſaxonum gentilis, & ad Chriſtum conuerſus in S. Petro á Sergio Pont. baptizatus, & Petrus vocatus, ibi moriens ibidem ſepultus eſt. Benedictus eius epithaphium compoſuit, quod quia diu, cum arca ſepultum cui erat inſculptum, iacuit, & annis præteritis ab effoſſoribus fabricę Baſilicæ ſancti Petri repertum fuit, libuit hic adſcribere quo eius doctrina, & pietas teſtatior eſſet. Tandem omni virtutum laude clarus, cum ſediſſet ann. XLVII. Sergio primo, Ioanne ſexto, & ſeptimo. Siſino, Conſtantino, Gregorio ſecundo & tertio Pontif. in ſenectute bona quieuit in Domino.

EPI-

EPITAPHIVM CEADVAL Regis Angloſaxonum, á Benedicto Archiepiſcopo compoſitum.

Culmen, opes, ſobolē, pollētia regna, triumphos,
Exuuias, proceres, mænia, caſtra, lares,
Queq. patrum virtus, & quæ congeſſerat ipſe
Armipotens Cedual, liquit amore Dei,
Vt Petrum, Petriq. ſedem, Rex cerneret hoſpes
Cuius fonte, ſacras ſumeret albus aquas.
Splendificumq. iubar radianti carperet haſta
Ex quo viuificus fulgor, vbique fluit.
Perſpicienſq. alacer rediuiuæ, præmia vitæ
Barbaricam rabiem, nomen & inde ſuum,
Conuerſus, conuertit ouans, Petrumq. vocari
Sergius antiſtes iuſſit, & ipſe pater.
Fonte renaſcentis quem Chriſti gratia purgans
Protinus ablutum, vexit in arce poli.
Mira fides Regis, clementia maxima Chriſti,
Cuius conſilium, nullus adire poteſt,
Soſpes enim veniens, ſupremo ex orbe Britanni
Per varias gentes, per freta perq. vias.
Vrbem Romuleam vidit, templumq. verendnm,
Aſpexit Petri, myſtica Dona ferens.
Candidus inter oues Chriſti ſociabilis ibit,
Corpore nam tumulum, mente ſuperna tenet,
Commutaſſe magis ſceptrorum inſignia credas
Quem regnum Chriſti, promeruiſſe vides.

Theo_

XLIV.

THeodorus huius nomine ſecundus á Gregorio tertio Pont. Archiepiſcopus creatus, ceremoniarum Eccleſiæ Mediolanen. admirabilis reſtaurator: Nam cerimoniæ á B. Ambroſio in Eccleſia Mediolanen. ordinatę, vel paſtorum incuria deſierant, vel licentia clericorum inoluerant, vel denique non intellectæ, cum interminarentur, ipſe egregius ritum Ambroſianorum interpres, omnibus mature conſideratis, ad priſtinum ſtatum omnia redegit. Et cum ſediſſet ann. XIV. Zaccharia primo Pont. poſitus eſt ad patres ſuos.

XLV.

NAtalis á Zaccharia primo Pont. ob diuinarũ rerum ſcientiam Archiepiſcopus creatus. Nam hebraice, greceq. valde doctus, & antiquitatis Eccleſiaſticarum rerum vſu peritus, contra Arianos ſcripſit. Qua doctrinæ laude, & ſanctimonia clarus, pro catholica fide multis exantlatis laboribus. Cum ſediſſet annos II. duos, vocatus a Domino abiit in cœlum, & miraculis clarus, á Stephano ſecundo Pontif. in numerum ſanctorum relatus eſt. Cuius feſtum 3. idus Maii ab Eccleſia Mediolanenſis celebratur. Sepultus eſt in Eccleſia ſancti Gregorii in Palatio, apud quam canonicam conſtruxerat.

XLVI.

ARifredus Archiepiſcopus á Zaccharia primo Pont. creatus. Tantum menſes 8. rexit Eccleſiam Mediolanen.

Stabi-

XLVII.

STabilius Zaccharia primo Pontif. Archiepiſcopus creatus: Eccleſiæ Mediolanenſi præfuit annis II. menſes IIII.

XLVIII.

LÆtius Marcellinus ciuis comes peregrinationis Stephani ſecundi ad Pipinum Gallorum Regem, ab eodem Zaccharia primo Pontif. Archiepiſcopus creatus. Vir omni pietate inſignis, & erga pauperes admirabili charitate prȩfulgens. Qui cum Eccleſiam Mediolanenſem adminiſtraſſet annis XIIII. Stephano III. Pontif. migrauit ad Dominum.

XLIX.

THomas Craſſus ciuis, admirabili ſanctitate præclarus: Nam more pauperis peregrini, deuotionis cauſa, totam Hieroſolymorum regionē perluſtrauit. Poſtea Stephano tertio Pont. Archiepiſcopus creatus: Ambroſiani ritus defenſor acerrimus extitit. Hic baptizauit filiam Pipini Regis Francorum nomine Gliſſam, ita iubente ipſo Pipino: Antequam Epiſcopus eſſet, interfuit Synodo Lateranenſi: ſub eodem Stephano, Eccleſiæ Mediolanenſi præfuit: admirabili prudentia, & ſanctitate clarus, obdormiuit in Domino: ſepultuſque eſt in Eccleſia ſancti Laurentii ſub altare ſancti Petri.

L.

PEtrus Oldradus, ciuis, Adriani primi Pontif. Secretarius ab eodem miſſus in Galliam, ad

ſollicitādam expeditionem Caroli Magni in Longobardos: á Leone tertio Pont.max. creatus Archiepiſcopus Mediolani, quem in Galliam proficiſcentem ad Carolum Magnum, plurima nobilium Mediolanenſium ſocietate comitatus eſt: Romæ interfuit in ſolemnitate illa quando Carolus Magnus á Leone tertio Pontif.max. Auguſtus, & Imperator declaratus fuit. Hic Archiepiſcopus, á Carolo magno in tanto honore & reuerentia ha bitus eſt quod ei & Archiepiſcopis ſucceſſoribus vrbis Mediolani dominium & iuriſdictionem con ceſſerit temporalem. Quæ priuilegia, & conceſſiones, vſq. ad Ottonem, Vicecomitem durarunt: Pipinum, Caroli Magni filium in vrbe Mediolani hoſpitatum morientem conſolatus eſt: idem, more Chriſtiano exequiis abſolutis, Cadauer eius Veronam ſepeliendum tranſmiſit, vt Pipinus moriens legauerat: Bernardum Caroli Magni filium Italiæ Regem eius rogatu Corona ferrea Modetiæ coronauit, accepto prius ab ipſo iuramento ſe priuilegia Archiepiſcopalis Eccleſiæ Mediolanen. a Carolo Magno facta ſeruaturum. Hic Ar chiepiſcopus adeo hæreticæ prauitatis perſecutor fuit, quód a Carolo Magno malleus Hęreticorum appellaretur: Hic iuſſu Adriani Papæ primi ſcripta ſancti Gregori, in eius mortem, a Populo Romano diſperſa Collegit, collecta emendauit, & in libros redegit. Extant iſtius Archiepiſcopi epiſtolæ, ad Carolum Magnum, inter quas eſt illa celebris de tranſlatione corporis B. Auguſtini, ex

Sardi-

Sardinia, Papiam facta a Luitprando, Rege Longobardorum: ſermones ipſius inſuper ad populũ in feſtis S. Barnabæ, & Nazarei, mira eruditione referti, & tanto Archiepiſcopo digni. Eccleſiã S. Ambroſii in vrbe Mediolani Canonicorum dignitate ornauit Canonicam a fundamentis erexit, Canonicos multis reditibus dotauit & auxit. Ibi moriens ibi ſepultus eſt cum per an. XXVIII. ſanctiſſime Eccleſiam Mediolanenſem adminiſtraſſet.

LAVDES S.GREGORII PAPAE hoc Carmine ſequenti celebrauit.

SVſcipe terra tuo corpus de corpore ſumptum,
Reddere quod valeas viuificante Deo.
Spiritus aſtra petit: Læti nil iura valebunt,
Cui vita alterius mors magis ipſa via eſt.
Pontificis ſummi hoc clauduntur membra ſepulchro,
Qui innumeris ſemper viuit vbiq. bonis
Eſuriem dapibus ſuperauit, frigora veſte,
Atq. animas monitis texit ab hoſte ſacris:
Implebatq. actu, quicquid ſermone docebat,
Eßet vt exemplum, myſtica verba loquens.
Anglos ad Chriſtum conuertit mente benigna,
Sic fidei acquirens agmina gente noua.
Hic labor, hoc ſtudium, hæc tibi cura, hoc paſtor agebas,
Vt Domino offerres plurima lucra gregis:
Hiſq. Dei conſul factus lætare triumphis,
Nam mercedem operum iam ſine fine tenes;

DE TRANSLATIONE Corporis S. Auguſtini Doctoris Eccleſ. ex Sardinia Papiam.

PETRI OLDRADI, ARCHIEPISC. Mediolanen. ad Carolum Magnum Epiſtola.

DOMINO REGVM PIISSIMO Carolo Magno.

PETRVS OLDRADVS, INDIGNVS Mediolanenſium Archiepiſcopus, Perennem in Chriſto coronam.

OPVS, quod Celſitudo veſtra, dum in vrbe Mediolani moraretur, mihi imponere dignata fuit, vt aliquid de trãſlatione Corporis B. Auguſtini Epiſcopi, de Sardinia Papiam inquirerem, & fideli ſermone Celſitudini veſtræ tranſcriberem, quantum humana fragilitas laborare potuit, elaboraui; & quod ex litteris, & libris Regum Longobardorum, & etiam ex traditione multorum legi, & audiui, Deo adiuuante, breuiter ſcribam.

B. Auguſtinus, Doctor Eccleſiarum Chriſti, poſt multa miraculorum ſigna, quibus in hoc mundo effulſit, poſt multam inſudationem laborum, qua obſtinationem hæreticorum, rectum iter vitæ deprauantium, oppugnauerat, Deo animam reddens, honorifice a Fidelibus ſepultus eſt in ciuitate Hip-

te Hip-

te Hipponenſi, in Epiſcopatu ſuo,in Eccleſia ſancti Stephani, currente anno incarnationis Chriſti CCCCXXX. ibique honorifice ſepultus per manus diſcipulorum ſuorū iacuit annis fere LVI. deinde Sardiniam tranſlatus a fidelibus, & catholicis Epiſcopis, qui ob Chriſti fidem ab iniquo Tranſimundo Vandalorum Rege,vna cum Fulgentio, Rumpenſi Epiſcopo, cum innumerabilibus Chriſti fidelibus in eandem inſulam relegati fuerant, quo tempore Vandali armis Africam vaſtabant;ne gemma,& theſaurus tantus ab immundis ſpiritibus pollueretur, ſecum cum nonnullis aliis ſanctorum Reliquiis deportarunt. Ibi multis miraculis claruit annis CCXXIII. In quo manifeſte datur intelligi, quód quos Deus charos habet, ad ſanctitatis eorum teſtimonium,clarificat, & inſignit virtutibus miraculorum.

Vnde Luitprando,Aſprandi filio Longobardorum Rege, quo tempore a die obitus ipſius ſancti viri fere ducenti & octuaginta anni euoluti fuerant, Regnum Longobardorum adepto,& perſeuerante in veræ religionis propoſito, quippe qui protector & defenſor fidelis Eccleſiarum Dei extitit, vir certe tanto principatu digniſſimus,ſi prudentiam, ſapientiam conſiliumque quo plurimū valebat, inſpexerimus: iuſtitia,atq. clementia ita inſignis habebatur, vt difficile iudicaretur,qua in re maiorem promeretur laudem:Chriſtianiſſimus adeo fuit,ac religionis amator, vt nullibi in regno templa ſine ſuo ſuffragio ædificari permiſerit.

Nam vt de cęteris taceam, Papiæ plurima templa ornatu miro conſtruxit, donatis & additis multis caſtris & poſſeſſionibus:& præcipue in palatio ſuo Oratorium in honorem Saluatoris mundi exſtruxit, vbi & ſacerdotes, & clericos multos inſtituit qui die noctuq. diuina officia exſoluerent, attributis multis bonis, vt honeſtius & alacrius Deo inſeruire poſſent.

Et primo Regni ſui anno donationem, quam B. Petro Aripertus Rex donauerat, confirmauit, ſcilicet Alpes Cottias, in quibus Ianua eſt, & quidquid ab ea Alpes vſque, Galliarum fines, continebatur:& B. Petro Apoſtolorum Principi in ſuburbio Papienſi Monaſterium conſtruxit, artificis opere excellenter ornatum, cui etiam indidit nomen Cœlum aureum.

Barbarorum igitur infinita multitudo Sardiniam expugnare eſt aggreſſa: quam cum inuaſiſſent, & ſubiugatam deſtruerent, loca etiam ſancta violenter aggreſſi polluebant; inter quæ ſepulcrum B. Auguſtini. Hæc cum iuſtitiæ cultor, & amator religionis Luitprandus Rex audiſſet á ſanctæ memoriæ Petro Papienſi Epiſcopo, quem rex maximo honore, & ſumma reuerentia ob vitę ſanctitatem proſequebatur, videlicet coinquinari & inhoneſte tractari ſanctiſſimi Auguſtini locum; legatos ſuos proceres nobiles cum magno pondere auri & argenti tranſmiſit in Sardiniam, vt Corpus tanti ſancti redimerēt pretio, & transferrent quamprimum ad ciuitatem Papienſem. Qui iuſſioni

ſioni & deſiderio piiſſimi Regis ſatisfacere cupiẽtes, nauigio venerunt Sardiniam; & redimentes corpus ſanctum á Barbaris, nauiq. illud imponentes, Dei miſericordia, & ingenti eorum gaudio, plenis velis per tranquillum mare in vnius diei & noctis ſpatio poſiti ſunt ante portũ & ſtationem Ianuenſem. Et per legatos Regi, quæ facta erant, denunciarunt; & vt honorifice occurreret ad Reliquias tam glorioſi corporis ſuſcipiendas.

Quo audito Rex immenſo gaudio perfuſus, gratias ingentes Deo referebat, quód deſiderium ſuum impleuiſſet: omniq. negotio poſtpoſito, rogatis & conuocatis omniũ ciuitatum ſuarum Epiſcopis, & vniuerſo Clero, vſque in fines agri Dertonenſis ad ſuſcipiendum tam præclarum Dei munus cum maxima humilitate proceſſit, & more Dauitico ad accipiendam arcam Domini, & reponendam in decentiori loco properabat, cum innumerabili procerum, ac populi vtriuſq. ſexus multitudine, Deo gratias agẽte de tãtis donis ac datis.

Cum autem ad locum vbi iacebat ſanctum corpus appropinquaſſet, depoſitis Regalis aulæ inſignibus, nudatoq. capite, & pedibus, cum tanta humilitate & deuotione procedebat, vt omnes, qui aderant, mirarentur, & Deum ſuper tanta deuotione piiſſimi Regis laudarent.

Ad Confeſſorem autem ſuum clarificandum miſericors Dominus dignatus eſt multa miracula operari. Multi enim aliquo officio corporis priuati aderãt, qui recuperata ſanitate alacres in lau

dem & honorem Dei vociferantes,lęti ad propria remeabant. Vnde corpus B. Confeſſoris cum laudibus, & hymnis deferentes peruenerunt ad fines agri Dertonenſis, ad prædium, quod appellant Sauinarienſe; vbi Rex Luitprandus cum vniuerſo Epiſcoporum & procerum comitatu pernoctantes,& debitum tanto patri officium digne peragentes, Rex ipſe tanquam vnus de plebe prope ſanctiſſimi corporis Reliquias nimio deuotionis zelo ardens pernoctauit.

Cum autem aurora ſequentis diei illuceſceret, ad peragendum iter ad vrbem Ticinenſem inſiſtẽtes, nullo modo ſanctum corpus mouere potuerunt. Cum igitur plures ad feretrum accederent, nec quidquam proficerent. Rex Luitprandus, ſciſſis veſtibus, & deformata facie, in terra deuolutabatur, quippe qui immenſo deſiderio tanti Patris transferendi Reliquias ad vrbem Ticinum æſtuabat nimis; ac omnino ab omni ſua ſpe ceciderat poſſe amoueri ſanctum corpus. Quo miraculo omnes Epiſcopi,& proceres ſtupebant; cogitantes intra ſe quidnã Deus omnipotens indicare vellet de Reliquiis tam glorioſi Doctoris. Aderat inter cętum Epiſcoporum S. memorię Gratianus, Nouarienſis Eccleſiæ præſul, vir multa doctrina præditus, & omni ſcientiarum genere illuſtris, & vere Dei ſacerdos, qui acceſſit confidenter ad Luitprandum Regem, affirmans Dei miſericordiam non verbis & actibus externis, ſed magis votis & operibus implorandam. Quæ Rex libentiſſime mo-

me monita audiens, facto voto deliberauit, & firmo iuramento & Regali decreto hoc aſſeruit, ſi Dominus Deus omnipotens corpus B. Auguſtini Ticinum deferri permitteret, quód ſupra nominatum prædium Sauinarienſe Deo, & Eccleſiæ B. Petri, ad quam ipſum ſanctum corpus deferre volebat, perpetuo habendum tribueret.

Factum eſt igitur, vt cum votum perſoluiſſet, accederet ad feretrum: qui cum corpus de terra leuare tentaret, ita leuiſſimum inuenit, vt nullo vlterius onere impediente, corpus beatiſſimum, quod prius nec moueri poterat á pluribus, modo non prohiberetur deferri a duobus. Peragebant igitur inceptum iter cum ingenti gaudio & exultatione, laudantes Dei omnipotentiam, qui vota Regis tam facile audiſſet.

Cum autem in Vrbe auditum eſſet de aduentu Regis cum reliquiis beatiſſimi Confeſſoris, ad ſuſcipiendum corpus ſanctiſſimum omnes, qui reſidui fuerant, feſtinarunt occurrere: & cum ſummo honore, vt pote tanto Patri debito, detulerunt cum hymnis & canticis, & totius populi concurſu, ſummo gaudio perfuſi; & repoſuerunt in Eccleſia B. Petri in cœlo aureo. Iure autem in Apoſtolica poſitus eſt Eccleſia, qui pro eccleſiaſtica dimicans fide diabolicas hæreticorũ fraudes diſperſit. Vbi etiam ad ſanctitatis eius teſtimoniũ, ad augmentũ fidei poſterorũ, multis ſignis & miraculis claruit.

Illud memoria dignum contigit poſt tranſlationem Papiæ factam, quo Deo beatoque patri

Augu-

Auguſtino gratam fuiſſe eam tranſlationem innotuit; ſi quidem multi tactu ſacrorum pignorum, ſeu arcæ, ex variis morbis ſtatim conualuere. Sed inſignis fuit illa apparitio facta quibuſdam vltramontanis numero quadraginta; qui petentes Romam, prope viculum Cauæ, Papia diſtantis circiter tria millia paſſuum, quo membra feſſa a longo itinere curarent, pernoctantes, circa ſecundam horam noctis ab Eccleſia, quę vicina erat dicata ſanctis Martyribus Coſmæ & Damiano, viderunt egredi hominem habitu pontificali ornatum, qui ipſis appropinquās percunctatus eſt, quo pergerent: Cum reſpondiſſent, ſe Romam ad Baſilicas SS. Petri & Pauli proficiſci, quatenus a Domino impetrarent liberari ab infirmitatibus, quibus vnuſquiſque eorum affligabatur (erant enim omnes infirmi, ideo Romam peregrinabantur, tum vt viſerent ſancta loca, tum vt ſanctorum meritis ibi quieſcentium Deus eos ſanaret) Dixit illis Pontifex: Dirigite greſſus veſtros ad vrbem vobis vicinam, Papiam nempe; ingredimini templum B. Petri in cœlo aureo: ingreſſi ſanabimini a languoribus veſtris, Quis eſſet eum interrogantibus peregrinis reſpondit, ſe eſſe Auguſtinum Hipponenſem Epiſcopum. His auditis ſtupore & gaudio repleti feſtinantes Papiam, & templum ingreſſi clamantes dixerunt: ſancte Auguſtine, ſicut pollicitus es, reſtitue nobis ſanitatem. His vix pronunciatis ſenſerunt ſe priſtinæ incolumitati redditos; & Deo, beatoque Auguſtino gratias agen-

agentes ad propria læti & incolumes remearunt, narrantes mirabilia, quæ fecerat Dominus interceſſione tanti Doctoris.

Dona autem, quæ piiſſimus Rex Luitprandus Eccleſiæ B. Petri donauit, tam in prædiis & poſſeſſionibus, quam in vaſis aureis, argenteis, & veſtibus ad Dei cultum pertinentibus, excedunt omnium piorum, & catholicorum opinionem. Exiſtimabat enim Rex ille ſe tantum non poſſe donare miniſtris, qui cuſtodiebant corpus B. Patris, quod opinioni & voluntati ſuæ penitus ſatisfaceret. Et tanto gaudio ob corpus tanti viri receptum repletus erat, quod die ac nocte in hymnis & canticis Dei cum clericis & ſacerdotibus in Eccleſia pernoctaret; & tamquam vnus de miniſtris in canticis Dei & pſalmodia ſe exercebat.

Hæc tranſlatio corporis S. Auguſtini facta fuit pridie Kal. Martii, ſedente in ſancta Petri ſede bonæ mem. Gregorio eius nominis ſecundo.

Excellentiam magnitudinis veſtræ per multa annorum curricula Rex Regum Chriſti Dominus ſua dignetur cuſtodire potentia.

In nomine Sanctiſſ. & indiuiduæ Trinitatis.

CArolus Diuino nutu coronatus, Romanum regens Imperium, ac per miſericordiam Dei Rex Francorum, & Longobardorum ſereniſs. Catholicus, Pacificus, Auguſtus, omnibus comitibus, Gaſtaldiis, ſeu cunctis Reipubl. per prouinciam

Italiæ a nr̄a maſuetudine præpoſitis ſempiternam in Dn̄o ſalutem; Norint omnes, & ſinguli. Quemadmodū venerabilis Petrus Oldradus Eccleſiæ Mediolanen. Archiep̄s nr̄am adiit celſitudinem petens, vt pro amore Dei, & ſalute aīæ nr̄æ, omnia S. Mediolanen. Eccleſiæ in honorem S. Ambroſii confeſſoris Chriſti & S. Eccleſ. Doctoris dicatæ a prædeceſſoribus nr̄is Imperatoribus, atq. religioſis hoībus, a Felici, Conſtantini Magni, & aliorum Imperatorum recodatione, collata, poſtea a perfidia Regum Longobardorū turbata, & ſublata, nr̄a Imperiali auctoritate reſtituere, reintegrare, & cōfirmare vellemus. Cuius piæ poſtulationi aſſentientes, eiuſdemq. Beatiſs. Ambroſii Ep̄i, & Chriſti Confeſs. implorandā ſemper opem ſtatuentes; Hoc decretū, & præceptū fieri mādauimus Petro Oldrado Archiep̄o. Quo ei concedimus, & ſucceſſoribus eius legitime intrātibus, q̄dquid ad nr̄am iuriſdictionē pertinere, in vrbe Mediolani videt̄, terras, ſcilicet atq. oēm diſtrictū, domos publicas, murumq. ipſius vrbis cū fiſco, & teloneo integro, & cū omni iure ciuili, intus, & foris incircuitu, vſq. ad fines. Cortes ēt ipſius Ciuitatis, ac Ciuitatem propriā, caſtella, villas, manſes, ſeruos, & ancillas, criminos, & criminas, domos, poſſeſſiones, piſcationes, campos, montes, ſiluas, aquas, aquarumq. decurſus, & paludes habitas, & poſſeſſas, a prædeceſſoribus, eius Archiep̄i, ante perfidiam, & tirannidem Regū Longobardorū; Atq. oīa iura aliquo inſcriptionis titulo, ſeu inueſtituræ adhucdonata,

& tra-

& tradita,oblata,ſeu præſentata,ſanctæ Mediola-nẽſi Eccleſ. a quibuſcunq. Imperatoribus,ſeu piis hominibus,donamus, cõcedimus, cõfirmamus; Itẽ donamus,venerab.Archiepõ.Petro,& ſucceſſorib. eius legitime intrãtibus oĩa quæ vocata ſunt fiſcalia,comitalia,aut vicecomitalia, q̃ poſita ſunt,aut conſtructa in comitatu Mediolani, tam intus, quã foris in circuitu, vſq. ad fines p̃dictos ſuos. Ita vt venerab.Petrus Oldradus Archiep̃s;& ſucceſſores eius legitime intrãtes, poteſtatẽ illic,habeãt, ꝑ ſe, aut ꝑ miſſos ſuos, iudicãdi,diſtringẽdi,placitũ tenendi , iura ligandi,iura ſoluẽdi,& quidquid eorũ vtilitas, & comodũ tulerit,faciẽdi ad incrementũ, & honorẽ ipſius.Sanctæ Eccleſ.Mediolanen. in ꝑpetuũ duraturæ:Pręcipientes igĩ iubemus;vt nullus noſter Dux,Marchio,Comes,Vicecomes,Sculdaſio,Gaſtaldius,Procurator ve vllus,hãc ſanctã. Dei Eccleſiã inq̃etet, aut manſionaticũ faciat;Toloneũ diſtrictũ, placitũ, aut aliã quãlibet, publicã functionẽ exigat . Sin minus,ſciat ſe ſoliturũ auri optimi libras ducentũ:centũfiſco nr̃o,& centũ ipſi Archiepõ. Quod vt verius credat̃,& diligẽtius obſeruet̃,manu propria roborãtes; annuli nr̃i impreſſione iuſſimus inſigniri, & conualidari . Dat.Dertonæ, Kal. Maii ann.Incarnat. D.N.Ieſu Chriſti. DCCCX. Indictione X. Imperii autem nr̃i anno IX. Regnorum vero noſtrorum XXXXIIII.

Longinus Cancellarius ad vicem Odonis Ep̃i, & Archicancellarij D. N. Caroli Magni, & inuictiſſimi Imperatoris ſemper Auguſti : recognoui, & ſubſcripſi,

Alipe-

LI.

ALipetrus Craſſus ciuis: vir ſumma vigilantia, veſtigiis ſui prædeceſſoris inherendo iuriſdictiones temporales admirabili iuſtitia ſtabiliuit; ab omnibus paterna dilectione amatus, ſumma integritate rexit Eccleſiam Mediolanen. ſub Leone I V. Pont. ann. I X.

LII.

ANſelmus huius nominis primus Bilius ciuis: diuinus contemplationibus deditus, multis virtutum meritis florens, ardenti charitate erga pauperes, a Paſchale primo Pont. Archiepiſcopus creatus, rexit Eccleſiam Mediolanen. annis I V. ſub eodem Pontif.

LIII.

BOnus a Caſtiglione ciuis, iuriſdictionis Eccleſiæ Mediolanen. acerrimus defenſor a Paſchale primo Pont. Archiepiſcopus creatus cum ſediſſet annos IV. ſub Eugenio ſecundo Pontif. ingreſſus eſt viam vniuerſæ carnis.

LIV.

ANgibertus Poſterla, huius nominis primus, ciuis: rexit Eccleſiam Mediolanen. tantum menſes ſex. Reliquias S. Mennæ Archiepiſc. ſui prædeceſſoris in decentiori loco traſportauit.

LV.

ANgibertus de Poſterla ciuis: in munere Archiepiſcopali pie verſatus, pauperum parens viduarum pater, a Lodouico Pio Caroli Magni filio, in ſumma veneratione habitus, cui ab eodem priui-

priuilegia a Carolo Magno, Petro Oldrado Archiepiſcopo, & ſucceſſoribus conceſſa, rata & firmata fuerunt. Hic Archiepiſcopus altare aureum mira operis excellentia fabricatum & pretioſis margaritis ornatum, Eccleſiæ Ambroſianæ DD. & Eccleſiam a Gregorio IV. Pont. ſibi commiſſam, pietatis ſtudio, ac ſumma vigilantia, per amplius triginta annis in trepide rexit. Huius Archiepiſcopi tempore ſacra corpora SS. Martyrum Primi & Feliciani, de quibus in libro Sacramentorum, & antiphonario S. Gregorii, fit mentio vbi ex Rom. auctoritate, (vt Rodulphus ſcribit) extant eorum res geſtæ apud Surium in Tomo tertio: ſed multa, quæ de eiſdem leguntur, cum minus conſentiant veræ traditioni non probantur: Sergii ſecundi Pontif. Max. conceſſu ab vrbe Roma, Legiunum quod oppidum eſt diœceſis Mediolanen. tranſlata ſunt, anno a Chriſto nato DCCC. VI. Cuius tranſlationis monimentum in hæc verba tranſcriptum legimus. Hic S. Primi martyris corpus venerandũ in Chriſto humatum quieſcit, quod Deo dignus Papa Sergius iunior Eremberto illuſtri viro conceſſit: ab vrbe Roma, cum hymnis, ac laudibus, ſpiritualibuſque canticis, dum eſſet tranſlatum, (quem inter ſanctos eius ſpiritus teneat primatũ) in multis virtutibus & ſignis eſt declaratum. Reconditum eſt corpus S. Primi martyris cum reliquiis S. Feliciani; anno incarnationis D. N. Ieſu Chriſti DCCC. VI. Kal. Auguſt. indictione 8. ordinante D. Angilberto Archiepiſc. ann. XXIII.

Paſſio

Paſſio ſanctorum VI. idus Iunii recolitur.

LVI.

THado ob ingenii ſubtilitatem & rerum diuinarum ſcientiam, ſapiens eſt appellatus, & merito: nam de hoc Archiepiſcopo Nicolaus primus Pont. in decretis ſuis ſic loquitur: Scriptum ſuper hoc propriis manibus roboratum efferentes & ſententiam, quam a ſede Apoſtolica in Engeldrudam vxorem Boſſonis ſanctiſſimus Frater noſter Archiepiſcopus Mediolanen. Thado & cęteri Epiſcopi noſtri petierunt admittendam. Hic cum ſanctiſſime rexiſſet Eccleſiam Mediolanen. an. VI. ſub eodem Pont. moritur.

LVII.

ASpertus, ſiue Arbutius Confalonerius ciuis: primum Eccleſiæ Mediolanen. Archidiaconus deinde ab Adriano ſecundo Pontif. Archiepiſcopus creatus, Eccleſiam in honorem ſancti Satyri fratris S. Ambroſii extruxit, & in ea collocauit corpus S. Mauricilii Archiepiſcopi. Hic Archiepiſcopus Aſpertus in teterrima peſte, quæ ſuo tempore omnem Italiam, populumq. Mediolanenſem precipue inuaſerat, peſtilenti lue tabeſcentes perpetuo ſtudio viſitaſſe eiſque ſacramenta omnia miniſtraſſe fertur: idq. ipſum officium, eius exemplo, & iuſſu parochi, etiam accurate præſtitiſſe dicuntur. Ille omni Europa, Italia, & vrbe, dictioneq. Mediolanenſi præſertim peſtilentiæ morbo vexata, atq. afflicta, cum ea ipſa officia præſtitiſſet, tum cibum etiam ac victum

tabe

tabe languentibus manu ſua miniſtraſſe commemoratur.

LVIII.

ANſelmus huius nominis ſecundi Capra ciuis: Intuitu Karoli Imperat. a Ioanne octauo Pontif. cum e Gallis Romam rediret,in vrbe Mediolani ſumma populi lætitia Archiepiſcop. creatus eſt. Rexit Eccleſiam Mediolanen. annis XIV. ſub eodem Ioanne, Martino ſecundo, Adriano tertio, Stephano V. Formoſo & Bonifatio VI. Pont.

LIX.

LAndulphus Craſſus ciuis a Romano primo Pont. Archiepiſcopus creatus. Rexit Eccleſiam Mediolanen. annos III.

LX.

ANdreas Lampugnanus ciuis: a Leone V. Pont. Archiepiſcopus creatus. Rexit Eccleſiam Mediolanenſem annos VI.

LXI.

ATtho Oldradus ciuis: comes itineris Sergii III. Pont. dum ad Lotharium Gallorum Regem proficiſcitur magna Mediolanenſium ciuium multitudine eſt comitatus: deinde eundem Pontificem e Gallia vſque Romam ſecutus & itineris diſtractione defeſſus & ſenio confectus, Romæ magno Pontifice & ciuium Mediolanenſium dolore moritur. Cuius corpus in monte Auentino in Eccleſia ſanctorum Bonifacii & Alexii ſepelitur, cum Eccleſiæ Mediolanen. præfuiſſet annos XIII.

IN HORTO ECCLESIÆ HÆC carmina vetuſtate exeſa vi leguntur.

Diſcat qui neſcit quod Epiſcopus hic requieſcit
Attho Oldradus multa pietate . . . .
Sergium qui Papam . . . .
Per mare per terras ſequitur per . . . .

LXII.

GAribertus a Ioanne X. Pontifice Archiepiſc. creatus, intrepide per duos annos rexit Eccleſiam Mediolanen. Eius opera Albericus Balbianus, qui in agro Piceno dominabatur, Saracenos profligauit.

LXIII.

SAmbertus, ſiue Lambertus a Ioanne XI. Pont. Archiepiſcopus creatus, Ianuenſibus copias auxiliares contra Saracenos fecit qui ex Africa venientes Ianuam ceperant & diripuerant, trucidatis omnibus qui arma induere poterant: impuberes & mulieres omnes, nauibus impoſuerant,& ingenti ditati præda, domum regredi ceperant Ianuenſem copiis Archiepiſcopi Lamberti confiſi, claſſem tumultuarie coadunarunt & illos cum ingenti fremitu inſecuti ſunt, & de hoſtibus ingenti ſtrage edita prædam omnem, cum liberis & vxoribus, recuperarunt. Rexit Eccleſiam Mediolan. annis IX.

LXIV.

HIlduinus Taſſonus Gallus,monachus ordinis S.Benedicti, Stephani VIII. Pont. familia-

ris,

ris, a Martino III. Pont. Archiepiſcopus creatus. Et ad regendam Eccleſiam Mediolanen. miſſus, ſcripſit libros duos, de vita & geſtis S. Dionyſii Apoſtoli Gallorum. Rexit Eccleſiam ſibi commiſſam multa prudentia & ſanctitate, annis VI.

LXV.

ARdicius Cotta ciuis ab Agapeto II. Pont. Archiepiſcopus creatus. Hic maximo Auxilio fuit Othoni Imperat. apud Ticinum in ſuperando Berengario & Alberto eius filio, qui iuriſdictionem Eccleſiaſticam vexabant. Cum per annos VIII. Eccleſiam ſibi commiſſam rexiſſet moritur.

LXVI.

ALamanus Mendoſius ciuis: primum Eccleſiæ Mediolanen. presbyter ordinatus, deinde a Leone VIII. Pont. Archiepiſcopus creatus, tanta fidei catholicæ zelo eluxit, quod Paraſſum nobilem & vetuſtam Lonbardiæ ciuitatem, in Glarea ardue conditam antrophormitarum hæreſi infectam, nec ſacris patrum monitis obtemperantem, ſed in hæreſi obſtinato animo perſeuerantem immo eam ob rem circumuicinas Vrbes catholicas continue armis nō vexare deſiſtentē, ab eo atque aliis comprouincialibus Epiſcopis Placentin. & Cremonen. deſtruxerunt ac ſolo penitus coęquarunt: a deo vt vix vrbis veſtigium remanſerit, vt altera Hierico licet aliquæ ruinæ vrbis antiquæ, dignitatem demonſtrarent.

LXVII.

VAlbertus Medices ciuis a Ioanne XIII. Pont.

Archiepiſcopus creatus, & in Germaniam ab eodem Pont. miſſus ad implorandum Otthonis Imperat. auxilium contra ſchiſmaticos, & ſua prudentia adeo ſolicitauit Imperat. in auxilium ipſius Ioannis Pontif. qui a ſeductoribus in Adriani mole tenebatur in carcere, vt opera ipſius Pontifex ab inſidiis inimicorum liberaretur,& in priſtinam dignitatem reſtitueretur, ſchiſmaticis & ſeditioſis morte & exilio mulctatis.

LXVIII.

MAnaſſes Schiſmaticus, primum Eccleſiæ Mediolanen.diaconus ſedit contra Valbertum.

LXIX.

ARonulphus huius nominis primus ſcripſit hiſtoriam ſui temporis, in qua narrat vrbem Mediolan. pene habitatoribus deſolatam ob vermes a puluere generatos.

LXX.

GOttofredus a Benedicto VI. Pont. Archiepiſcopus creatus.

LXXI.

LAndulphus Carcanus ciuis, & ſchiſmaticus opera etauxilio Otthonis ſecundi Imperat. Archiepiſcopus creatus, bona & iura Eccleſiæ Mediolanen. vt talium mos eſt, dilapidauit: nam ciuibus & Forenſibus decimas relaxauit, vt ſalutaretur Archiepiſcopus, & vt populi fauore in ea dignitate perſiſteret. Hic vt dicitur a fundamentis extruxit Eccleſiam & dotauit monaſterium ſancti Celſi.

Aronul-

LXXII.

ARonulphus huius nominis ſecundi Arciagus ciuis: a Gregorio V. Pontif. contra Landulphum creatus Archiepiſcopus. Poſt ſedatam vrbem & diocefis Mediolanen. expulſo Landulpho ſchiſmatico: ab eodem Pont. miſſus eſt Conſtantinopolim ob multas cauſas, ſed præcipue vt in matrimonium Otthoni terzi Imperat. affinis ſui, copularet filiam Nicephori Imperat. a quo per benigne ſuſceptus eſt, vna cũ multitudine ciuiũ Mediolanen. quæ eum ſecuta fuerat, & in requiſitis bene expeditus, & inſuper ab eodem Nicephoro multis muneribus donatus eſt, præcipue æneo ſerpente, quem Græci ex eiuſdem ære dicunt conſtatum, quem Moyſes in deſerto erexit. Hunc, reuerſus in patriam, in Baſilicam Ambroſianam, ſuper columna marmorea repoſuit.

LXXIII.

HEribertus Intimanus ciuis, Gerardi de canturio filius á Sergio iiii. Pont. Archiepiſcopus creatus. Primo omnium Archiepiſcoporum in Vrbe Mediolani coronauit Corradum Imperat. Qui deinde Romæ á Ioanne xx. Pont. corona aurea decoratur: Poſtmodum in vrbe Mediolani, eadem corona coronauit Henricũ II. Imper. Qui poſtea Romę á Benedicto ix. Pont. corona aurea coronatus eſt.

LXXIV.

GVido Valuaſorius de Velate ciuis: Primo Canonicus Ordinarius Eccleſiæ Mediola-

nen. a Leone ix. Pont. Archiepiſcopus creatus. Iuſſu eiuſdem Pont. interfuit in Concilio Vercellenſi contra Berengarii Andegauenſis Archidiaconi errorem: qui cum diu ſanctitate & doctrina inſignis & clarus fuiſſet, ob doctrinæ ſuę amplitudinem, primò confuſus in Euchariſtiæ ſacramento, turpiter errauit, & multorum animos ipſo ſuo errore infecit. Sed diuina poſtea illuſtratus gratia, errorem ſuum in publico concilio Vercellis habito emendauit, vt habetur in decretis.

LXXV.

GOttifredus Simoniacus, & ſchiſmaticus, ſedit contra Guidonem.

LXXVI.

THealdus a Caſtiglione ciuis. Henrici Imperat. auxilio ſuffultus, & opibus adiutus Eccleſiam Mediolan. inuaſit. Quam ob cauſam a Gregorio VII. Pont ſacris ordinibus interdictus, exul Aronæ moritur, & ibi ſepelitur.

LXXVII.

ANſelmus de Rho ciuis, ab Alexandro ſecundo Mediolanen. Pont. Archiepiſcopus creatus; præfuit concilio Mantuano in quo ſchiſmate mirabilis extitit quod Gibertus Parmenſis, vir potentiſſimus annuente Henrico Imperat. excitauerat, creando Pontificem Cadolum antea Parmenſem Epiſcopum, compoſito ſchiſmate, opera & induſtria ipſius Anſelmi. Idem Alexander Papa ab omnibus confirmatur, & paſtor catholicus adoratur.

Aronul-

LXXVIII.

ARonulphus huius nominis tertii capitanius ciuis, ab Vrbano ſecundo Pontif. iam antea magiſtratu pulſus, quod ab vno tantum epiſcopo, contra ius diuinum, conſecratus fuerat: in gratiam receptus eſt, cum antea mutato habitu, eius cauſſa in cœnobio ſponte ac ſanctiſſime vixiſſet & eidem pallium ſuppliciter petenti, cum integra poteſtate tranſmiſit, his verbis; Litteris tuis exorati cum Apoſtolicæ ſedis benedictione pallium fraternitati tuæ mittimus. Hic cruce ſignato Otthone vicecomite cum ſeptem millibus militibus in expeditionem Hyeroſolimorum contra ſaracenos miſit & ab eodem Pontif. miſſus ad Henricum tertium Imperat. cum mandatis, vt deſiſteret a collatione epiſcoporum, ab eodem Imperat. contumeliis affectus, reuerſus in patriam dolore animi interiit, ob malam voluntatem Imperat. contra Pontificem. Sepultus in monaſterio ſancti Victoris ad corpus, quod viuens magnifice ſtruxerat, multis prædiis dotauerat, & redditibus auxerat.

LXXIX.

ANſelmus huius nominis ſecundi Valuaſorius ciuis, a Gottifredo ſchiſmatico & ſuis ſequacibus fidei, & religionis cauſa in exilium miſſus. Poſt varias, innumeras calamitates a Paſchale ſecundo Pont. vocatus, & Archiepiſcopus deſignatus poſt mortem Aronulphi ſumma populi gratulatione ſuſcipitur, expulſo Gottifredo cum

ſuis ſequacibus, qui iterum ſeditiones in populo concitabant.

LXXX.

CHryſolaus Comitiſſæ Mathildis affinis, a Paſcale ſecundo Pontif. Epiſcopus creatus, de ſancta Rom. Eccleſia benemeritus, ſumma cum laude adminiſtrata Eccleſia Mediolanen. moritur Romæ, ſepelitur in Eccleſia S. Sebaſtiani.

LXXXI.

IOrdanus de Cliuio ciuis, eius opera laudenſes victi & deinde iureiurando aſtricti ſe amplius Imperat. partes non ſequuturos. Hic contra Henricum IV. Imperat. quem pauloante in vrbe Mediolani coronauerat, parato exercitu ciuium Mediolanenſium, vna cum Comitiſſa Mathilda in fauorem Paſchalis ſecundi Pont. cuius iuſſu pacatis cum Henrico Imperat. rebus Concilio Guaſtaldo interfuit. Huius Archiepiſcopi opera,& induſtria Comitiſſa Mathilda moriens omnia bona ſua, B. Petro, & S.R.E. Pont. reliquit.

LXXXII.

HOnorius Capitanius Vicedominus ciuis, primum Archipresbyter Eccleſiæ maioris Mediolanen. deindæ a Gelaſio ſecundo Pont. Archiepiſcopus creatus, Rexit Eccleſiam ſub eodem Gelaſio & Calixto ſecundo Pont. annis IV.

LXXXIII.

ANſelmus Puſterla ciuis: huius nominis V. cum S. Bernardus recuſaſſet Archiepatus adminiſtrationem, ad quam a populo Mediolan. electus &

ctus & ab Honorio ſecundo Pontif. confirmatus fuerat, ab eodem Pont. creatus Archiepiſc. ob conſtantiam, & beneuolentiam ipſius erga Pont. Romanum. Nam a Caliſto ſecundo Pontif. miſſus in Germaniam, vna cum Lamberto Epō Oſtienſi, qui poſt Caliſtum creatus Pont. Honorius ſecundus fuit dictus, & Gregorio Papareſio Romano presbytero Cardinali, qui deinde creatus Pontifex dictus eſt Innocentius ſecundus: ex qua miſſione, inſignis illa pax & concordia inter ſacerdotiū, & Imperium cōſecuta eſt: anno plus minus quinquageſimo, ex quo inter Gregorium VIII. Pont. & Henricum quartum Imperat. diſcordia ingens ob ſacerdotiorum collationem excitata fuerat. Hic Archiepiſc. fregit audaciam Epiſcopi Aſtenſis, qui nolebat inter ſuffraganeos Eccleſiæ Mediolanen. connumerari: Lotharium Imperat. regia magnificentia in vrbe Mediolani ſuſcepit, & corona ferrea coronauit: ſanctum Bernardum ſæpe & ſæpius perbenigne hoſpitio ſuſcepit. Cuius intuitu Anſelmus Archintus monaſterium Clareualenſe extra portam Romanam dotauit & fundauit. Cuius exemplum Albertus Oldradus ſecutus monaſteriū de Cerete in agro Laudenſi ꝓpria ſubſtãtia fundauit & dotauit. Et S. Bernardo & familiæ Ciſtercien. dedit DD. Comum vrbē hic Archiepiſcopus obſidione cinxit, agrum vaſtauit, & potius belli gloria, quam laude eccleſiaſtica clarus mortuus eſt, Romæ ſepultus in Eccleſia ſancti Sebaſtiani.

Roboal-

LXXXIV.

ROboaldus primum Epiſcopus Albenſis deinde Eccleſiæ Mediolanen. a Celeſtino ſecundo Pont. Archiepiſcopus creatus.

LXXXV.

ALbertus Pirouanus ciuis: Præfuit Eccleſiæ Mediolan. in illa miſerabili calamitate, qua Federicus cognomento barbaruſſa poſt ſeptem annos obſidionis, tandem iudęis prodentibus, vaſtauit & ſolo æquauit vrbem Mediolanen. inſuper aratrum per circuitum duci, & ſal ſpargi præcepit. Quo tempore Reinoldus Archiepiſcopus Colonienſis, ne quid illi calamitati deeſſet, corpora trium magorum Mediolanum, vbi ab Euſtorgio e Bizantio tranſlata fuerant, aſportauit. Hic Archiepiſcopus ſumma prudentia, conuentu habito in Eccleſia S. Iacobi de Pũtida agri Bergomen. de inſtauranda iterum vrbe Mediolani cum finitimis ciuitatibus, votum ſui deſiderii feliciter impleuit: ſed morte præuentus non potuit perfrui deſideriis optatis,

LXXXVI.

GAldinus a Sola ciuis, a pueritia deditus ſacrarũ litterarũ ſtudiis: primo Archidiaconus Eccleſiæ maioris Mediolanen. & per multos annos Cancellarius Alberti Pirouani Archiepiſcopi, cui poſtea ſucceſſit: ſed primo ab Alexandro tertio Pont. creatus presbyter Cardinalis S. R. E. Tit. S. Sabinæ, deinde creatus Archiepiſcopus Mediolani, & legatus de latere in tota Gallia Ciſalpina

contra

contra Federicum barbaruſſam. Hic primus poſt dirutum Mediol. inhęrendo veſtigiis ſui prædeceſſoris Mediolanum feliciſſimis auſpiciis inſtaurauit; vndique collectis ciuibus diſperſis, & in patriam reductis. Hic Archiepiſcopus omnium vrbium Galliæ Ciſalpinæ cõſenſu apud Roueretum prope Tanerum fluuium, Alexandriam ciuitatem in honorem Alexandri tertii Pont. a fundamentis ædificauit. Cui nouę ciuitati Epiſcopum dedit, anno ſalutis noſtræ, M. C. LXXV. Hic Archiepiſcopus Epiſcopos omnes a Federico Imperat. electos priuauit; cum quibuſdam Epiſcopis catholicis corpus ſancti Baſſani Epiſcopi Laudenſis, ex veteri vrbe ad nouam tranſtulit; Papienſes pecunia mulctauit, eo quod adhæſiſſent partibus Federici Imperat. cum antea Pont. Papienſem Epiſcopum palii & ferendæ crucis dignitate priuaſſet, quia in partes Imperatoris declinauerat. Tandem pace confirmata inter eundem Federicum Imperatorem & Mediolanen. aſſiduis precibus, & ieiunio totus addictus, quod de Eccleſia ſibi commiſſa ſancte gerenda, animo conceperat, Dei auxilio aſſecutus & ſpectata ſanctimonia inſigni. Senio confectus cum de ſugeſtu contra Chatarorum hęreſim, quam a grege ſuo propulſandam curauerat concionandi vbi finem fecit, animam Deo reddidit, anno ſalutis M. C. LXXVIII. Cuius corpus magna populi frequentia procerum, & maiorum humeris in Eccleſia S. Teclæ portatum, repoſitum ſumma reuerentia fuit. Miraculis clarus, ab eodem

dem Alexandro Pont. in SS. numerum relatus eſt. eius reliquię deinde in Baſilica Metropolitana ho neſtiori loco reconditæ fuerunt. Cuius feſtum 14. Kal. Maii ab Eccleſia Mediolanen. celebratur.

LXXXVII.

ALgiſius Pirouanus ciuis: Eccleſiæ maioris Mediolanen. Cimiliarca orto ſchiſmate inter clerum Mediolanen. de eligendo Archiepiſcopo: vna pars Archipresbyterum: altera Archidaconũ Eccleſiæ maioris Mediolani in Archiepiſcopum elegerat. Quibus diſcordiis commotus Alexander tertius Pont. motu proprio Algiſium Archiepiſcopum creauit, qui tanta animi fortitudine rexit Eccleſiam, & populum ſibi commiſſum, quód armata manu auſus fuerit concurrere, & dimicare contra Federicum Barbaruſſam, iterũ vaſtantem agrum Mediolanen. quem cũ ſuis copiis fudit, & fugauit, & deinde Venetias ad Alexandrum Pont. ſe contulit, a quo perbenigne ſuſceptus, eum deinde Romam vſque comitatus eſt. Reuerſus in patriam, magno cleri, & populi dolore moritur.

LXXXVIII.

LAmbertus huius nominis ſecundi Cribellus ciuis, primum Eccleſiæ maioris Mediolanen. Archidiaconus, deinde Vercellarum Epũs; poſtea a Lucio tertio Pont. Archiepiſcopus creatus. Demum ſummus Pont. Vrbanus tertius Pont. dictus.

LXXXIX.

MIlo Candianus ciuis; primo ab Vrbano tertio Pontif. Eccleſiæ Mediolanen. Archipresbyter;

ſbyter; deinde Taurini Epiſcopus creatus, poſtmodum a Clemente tertio Pont. Archiepiſcopus Mediolanen. Henricum V. Imperat. vna cum Conſtantia Auguſta vxore in vrbe Mediolani, corona ferrea decorauit.

XC.

VBertus huius nominis ſecundi Tertiagus ciuis; primo Eccleſiæ Modœtiæ Archipresbyter, deinde ab Innocentio tertio Pont. Archiepiſcopus creatus; pacem inter populum Mediolanen. & Comenſem compoſuit. Extant duæ epiſtolæ eiuſdem Innocent. Pontif. ad eum, quod ſuper quæſtione inter ipſum Archiepiſcopum, & monaſterium S. Donati de Scozula, ſententiam latam per Epiſcopum Veronenſem confirmauit. Altera vero contra paſſaguerram Mediolanen. detractorem curiæ Romanæ.

XCI.

PHilippus Lampugnanus ciuis ab Innocẽtio tertio Pont. Archiepiſcopus creatus, animi ſolertia lites & diſcordias inter Mediolanen. & Ticinenſes ſedauit. Extat epiſtola eiuſdem Pontif. ad eundem, quod dignitatem Cancellariæ vacantem in Eccleſia Mediolanenſi cõferat Hugoni ſubdiacono Papæ.

XCII.

VBertus huius nominis tertii Pirouanus ciuis; ab Innocentio tertio Pont. S.R.E. Cardinalis creatus; poſtmodum Archiepiſcopus cum poteſtate legati miſſus ad regendam Eccleſiam Mediola-

diolanen. Otthonem IV. Imperat. in Baſilica Ambroſiana coronauit.

XCIII.

GErardus de Seſſio Nouarien. primo Nouariæ Epiſcopus electus; deinde ab Innocentio tertio Pontif. Archiepiſcopus creatus, ſexto menſe moritur.

XCIV.

HEnricus Settarra ciuis, Eccleſiæ maioris Mediolan. Cimilarca; orto ſchiſmate inter clerum Mediolanen. de eligendo nouo Archiepiſcopo. (Nam vna pars Archipresbyterum, altera Archidiaconum, tertia Epiſcopũ Vercellenſem elegerat) ab Innocent. III. Pont. ſumma populi lætitia Archiepiſcopus creatus. Hic primus in vrbe Mediolani locum, & monaſterium SS. Franciſci, & Dominici aſſignauit, nam remotis ab Eccceſia S. Euſtorgii canonicis, & presbyteris, eam Dominicanis, & in Eccleſia SS. Naboris, & Felicis, ſimiliter Franciſcanis vna cum redditibus aſſignauit, in qua moriens ſepelitur.

XCV.

GVlielmus Razalius primum Mediolanen. Eccleſiæ Archidiaconus ſummo omnium conſenſu a clero Archiepiſcopus electus, & a Gregorio nono confirmatus; deinde ab eodem Pontif. miſſus ad Federicum ſecundum Imperat. vt promiſſa impleret contra ſaracenos. Reuerſus Mediolanum cruciatam contra eundem Federicum publi-

publicauit; ſedit annos X. ſepultus in Monaſterio Clareual.

XCVI.

LEo de Perego Valuaſorius ciuis, ord.S.Franciſci. Hic habita poteſtate a Cæleſtino IV. Pontif. eligendi quem ipſemet vellet in Archiepiſcopum ſeipſum in eius dignitatem elegit, deinde ab eodem Pontif. confirmatus, in curia ipſius Archiepiſcopi. Turriani plebis conſules multa bona inſuper & iuriſdictionem temporalem Archiepiſcopi, occuparunt. Rexit Eccleſiam Mediolanen. annos XVI. ſepultus in vico lignano, vbi palatium magnificum eſtruxerat.

XCVII.

OTtho Magnus Vicecomes ciuis, a Gregorio X. affini ſuo Archiepiſcopatus dignitatem obtinuit, Archiepiſcoporum, & Principum ſui temporis facile Princeps; nam opibus, diuitiis, militumque copiis, ita floruit, vt ab omnibus cognomen magni mereretur. In hoc ſolum defecit, (Præterquam quod in ſpiritualibus ineptus erat,) quód iuriſdictionem vrbis Mediolani, a menſa Archiepiſcopali ſegregauit; Nam filios fratris hæredes inſtituit, magno Archiepiſcopalis iuriſdictionis detrimento; mortuus eſt in Monaſterio Clarauallẽſi, quem locum in vltima ſenectute ſua, recreandi cauſſa animi ſui ob aeris temperiem, & regionis amenitatem ſibi elegerat, cum perueniſſet ad ſuæ ætatis annos octuaginta ſeptem. anno ſalutis humanæ M. D. CCXCV. de menſe Auguſti, re-

ſti, regali pompa humeris procerum corpus eius, magnaq. populi frequentia & ingenti totius ciuitatis dolore delatũ; eſt Vrbe Mediolani exequiæ eius, & funera maxima, totius ſuæ iuriſditionis vrbiũ & caſtrorum, pagorũ, villarum, impenſa, celebrata fuerunt inſtar potentiſſimorum Regum. in eius ſepulchro in Eccleſia maiori ſito hæc carmina leguntur.

Inclytus ille pater patriæ, lux gloria patrum:
Fulgor iuſtitiæ, fidei baſis, arca ſophiæ,
Largitor veniæ, portus pietatis egenis,
Intrepidus paſtor, quem moles nulla laborum,
Ardue deuicit, populo latura quietem,
Ille pius Princeps, & præſul amabilis in quem
Altus virtutum ſplendor, conuenerat omnis:
Quo Mediolanum radiabat lampade tanta,
Totaq. fulgebat regio, nunc pallet adempto
Clara vicecomitum proles, venerabilis Otho,
O dolor, ò vulnus, cinis eſt hoc marmore factus
Chriſte pater vitæ, requieſcat ſpiritus in te,
Annis vndentis, ter ſenis, terque diebus.
Præſuit Eccleſiæ paſtor bonus Ambroſianæ
Mille ducenteno quinto, nouieſque deceno.
Quarto hic Auguſti, bis, liquit gaudia Mundi:

XCVIII.

RVffinus Friſetius Lucenſis, a Bonifacio octauo Pontif. Archiepiſc. electus, tantum menſes X. Eccleſiam rexit.

Fran-

XCIX.

FRanchinus Parmenſis, á Bonifacio octauo Pōtif. contra vicecomites occupatores bonorum Eccleſiæ Mediolanen. Archiepiſcopus creatus. Hic ſumma vigilantia vicecomites, auxilio Alberti Scotti, & Caſſonis Turiani é ditione Mediolani expulit, & bona, & iuriſdictionem menſæ Archiepiſcopalis reſtituit.

C.

CAſſonus Turianus ciuis, primum Patriarcha Aquilegiæ: deinde á Clemente quinto Pontif. Archiepiſcopus creatus, ob auxilium Franchino Archiepiſcopo, in expellendis ex vrbe vicecomitibus impenſum, iuriſdictionem menſæ Archiepiſcopalis reſtituit: Henricum Lucemburgum Imperat. magnifice hoſpitio ſuſcepit, & corona ferrea coronauit.

CI.

AIcardus Antimanus Nouarienſis, ordinis prædicatorum. A Caſſono Archiepiſcopus miſſus ad Ioannem vigeſimumſecundum Pont. negotiorum cauſſa, poſt Caſſonum, ab eodem Pontif. creatus Archiepiſcopus. Multa publica ædificia ad ornatum vrbis conſtruxit: Matthæum vicecomitem, vna cum filiis tanquam inuaſorem iuriſdictionis eccleſiaſticæ excommunicauit. In feruore ſermonis ad populum, multa mala, & calamitates damnaque, futura Mediolanenſibus prædixit; quæ deinde vera, & certa fuerunt.

IOannes Matthęi vicecomitis filius; primum Nouariæ á Ioanne vigeſimoſecundo Epiſcopus factus, deinde á Clemente ſexto Pont. Archiepiſcopus Mediolani creatus: contra rabiem,& furorem Ludouici Bauari Imperat. qui Galliam Ciſalpinã vaſtabat caſtra mouit. Hic Archiepiſcopus, vir potius bellica laude (Bellum enim contra Florentinos,& alias Hetruriæ,& Flãminiæ vrbes intulit, necnon liguriam ſibi ſubiecit,) quám eccleſiaſtica diſciplina clarus, potens opere, & ſermone, & pene totius Galliæ Ciſalpinæ in temporalibus & ſpiritualibus Dominus erga S. R. E. mira deuotione, & humilitate propenſus; Cuius intuitu, & odio in Bauarum, idem Clemens Pontif. Luchinum Vicecomitem,& fratres ipſius Archiepiſcopi Vicarios S. R. E. in vrbe Mediolani, & Gallia Ciſalpina creauit; ſub hoc Archiepiſcopo, penitus iuriſdictio, & dominium temporale Archiepiſcoporum Mediolani defecit. Huius tempore tranſlatum eſt corpus ſancti Petri martyris ordinis prædicatorum in Baſilica S.Euſtorgii, incredibili populi concurſu, eccleſiaſticique apparatus ſplendore magno: Et celebrata fuit hæc tranſlatio, anno á Chriſto nato, M. CCC. XL. di ſolemni feſto Pentecoſtes, quo die comitia habebantur; fratrum ordinis Prædicatorum. Hic Archiepiſcopus cum regnaſſet annos XXI. mortuus eſt, & ſepultus in Eccleſia Metropolitana, & in eius ſepul-

chro

chro inſculpta ſunt carmina ſequentia, non indigna (licet ſeculo rudi facta) quæ legantur:

Quàm faſtus, quàm pompa leuis, quàm gloria mundi
Sit breuis, & fragilis humana potentia quàm ſit,
Collige ab exemplo, qui tranſis perlege diſſer,
In ſpeculo ſpeculare meo lacrymabile carmen,
Qui ſim, qui fuerim, licet quam marmore claudor
Sanguine clarus eram, vicecomes ſtirpe Ioannes
Preſul eram, paſtorq. fui, baculumq. gerebam
Nomine, nullus opes poſſidebat latius orbe
Imperio, tituloq. meo mihi Mediolani
Vrbs, ſubiecta fuit laudenſe ſolum Placentia grata
Aurea Parma bona, Bononia pulchra Cremona
Bergoma magna ſatis, lapidoſis montibus altis
Brixia magnipotens, Bobienſis terra tribuſq.
Eximiis dotata bonis, Derthona vocata,
Cumarum tellus, nouaq. Alexandria pinguis
Et Vercellarum tellus; atq. Nouaria, & Alba
Aſt quoq. cum caſtris pedemontis iuſſa ſubibant
Ianuaq. ab antiquo quondam iam condita ſano,
Dicitur, & vaſti narratur Ianua mundi,
Et Sauonenſis arx, & loca plurima, quæ nunc
Difficile eſt narrare mihi, mea iuſſa ſubibant
Tuſcia tota meum, metuebat languida nomen
Per me obſeſſa fuit populo Florentia plena
Bellaq. ſuſtinuit, Tellus Peruſina ſuperba
Et Piſæ, & Senæ timidum reuerenter honorem
Præſtabant, me metuebant Marchia tota
Italiæ partes omnes timuere Ioannem,

Nunc me petra tenet, Saxoq. in cludor in iſto
Et lacerant vermes, laniant mihi deniq. corpus
Quid mihi diuitiæ? quid lata Palatia proſunt?
Cum mihi ſufficiat, quod paruo marmore claudor.

CIII.

RObertus vicecomes ciuis; Primum Eccleſiæ Mediolanen. Archipresbyter, deinde ab Innocentio VI. Pontif. Archiepiſcopus creatus: Carolum IV. Imperat. hoſpitio regali, in vrbe Mediolani ſuſcepit; cuius Archiepiſcopi intuitu, idem Carolus Imperat. corona ferrea, ibi de more coronatus, vicecomites in dominium vrbis Mediolani, vicarios Imperiales inſtituit. Et á S. R. E. deuotione defecerunt.

CIV.

GVlielmus huius nominis ſecundi Puſterla ciuis: primum Patriarcha Conſtantinopolitanus; deinde ab Vrbano V. Pontif. Archiepiſcopus creatus.

CV.

SImon Borſanus ciuis; ab Vrbano V. Pontifice S.R.E. Cardinalis Tit. ſanctorum Ioannis, & Pauli creatus; deinde Archiepiſcopus á Gregorio XI. Pont. factus.

CVI.

ANtonius ex Marchionibus Salutiarum á Gregorio XI. Pontif. Archiepiſcopus creatus. Hic omnium primus, cum templum Maius Mediolani vetuſtum eſſet, & non admodum celebre, inſti-

inſtituit, vt aliud extrueret nobilius & inſignius, vt patet ex multis eius epiſtolis: quod obtinuit. Eius enim tempore adiuuante etiam Ioanne Galeatio vicecomite, fundamenta maxima iacta fuerunt, & in credibili prope impenſa, & artis elegantia ſolido marmore inſtaurari cœptum eſt. In honorem B. Mariæ Virg. & noſtra ætate mirum in modum auctum eſt, & in dies augetur.

CVII.

PEtrus Philargus, ordinis minorum in Chruſinalio vico, diœceſis Nouarienſis natus, vulgo de Candia dictus, vir græcis, & latinis litteris peritus, orator illuſtris, & concionator inſignis; eas ob animi dotes maximo in pretio vbique fuit. Hic quippe ab adoloſcentia ſua ordinem minorum ingreſſus, adeo Pariſiis liberalibus ſtudiis, & theologicæ diſciplinæ vacauit, vt breui tempore publice in ſcholis primatum tenuerit, & in libris ſententiarum docte, & acute ſcripſerit; eam ob cauſam á Gelatio vicecomite nondum Duce, qui doctis, & eruditis viris plurimum oblectabatur, accitus, primarium in ſuis publicis, & ſecretis conſultationibus locum tenuerit; & eius prudentia, & cōſilio, arduis in rebus vti voluit. Deinde ipſius Galeatii rogatu, Bonifatius IX. Pont. eum Vincentinum primo creauit Eiſcopū; poſtea loco mutato Nouarienſis Epiſcopus; poſt Patriarcha Gradenſis; poſtremo Mediolanenſis Archiepiſcopus, ab eodem Pont. creatus fuit; eoq. in titulo, & dignitate conſtitutus ad Vinciſlaum Imperatorem no-

mine ipſius Galetii acceſſit; & Ducatus inſignia, & titulum ab ipſo Vinciſlao per eundem Galeatium, obtinuit. Qui Dux creatus, intuitu ipſius Petri Archiepiſcopi, multa prædia fabricæ maioris Eccleſiæ aſſignauit: deinde ab Innocẽtio viii. Pont. S. R. E. Præsbyter Cardinalis Baſilicæ SS. Apoſt. creatus; demum Pont. electus, Alexander V. vocatus eſt.

CVIII.

IOannes huius nominis ſecundi vicecomes ciuis ab Alexandro V. Pont. Archiepiſcopus creatus. Cuius amicitia in humili fortuna intima fuit.

CIX.

BArtholomeus Capra ciuis, á Ioanne XXIII. Pont. Archiepiſcopus creatus, adminiſtator & curator Philippi Mariæ vicecomitis Ducis: ab eodem Pont. ad tutelam Principis deſignatus. Sigiſmundum Imperat. corona ferrea in vrbe Mediolani coronauit. Interfuit Concilio Conſtantienſi in quo tanta eius auctoritas fuit, quod á Patribus, vna cum Iordano de Vrſinis Cardinali, electus ſit Commiſſarius generalis, in tractandis rebus ad Concilium ſpectantibus, in quibus, ita ſe prudenter geſſit, & ſummopere Patres Concilii, & idem Imperat. doctrinam & prudentiam admirarentur; eius amore & beneuolentia, Martinus V. Pont. e Concilio Conſtantiæ, in quo electus fuerat Pontifex rediens Romam, inuitatus ſe contulit ad vrbem Mediolani anno M. C C C C. XVIII. Et á Philippo duce Regali magnificentia ſuſce-

ſuſceptus, & veneratus, vt dignum erat; Inſuper in templo maiori, cuius altare maius conſecrauerat 17. Kal. Nouembris, in eo recondens corpora 11. SS. Innocentium, & aliorum ſanctorum reliquias, concurſu maximo populi, qui dicitur fuiſſe ad centum millia virorum, ſtatua marmorea ornatus.

CX.

FRanciſcus Picolpaſſius Bononienſis, ob in curia Romana contractam familiaritatem, in priuata fortuna, cum Eugenio IV. Pont. ab eodem Archiepiſcopus creatus: huius decreto in Eccleſia Mediolanenſi fit ſolemne feſtum SS. Fabiani, & Sebaſtiani.

CXI.

HEnricus Aloſius huius nominis III. Papienſis patriæ: primum Epiſcopus Derthonenſis; deinde ab Eugenio IV. Pont. Archiepiſcopus creatus: poſtmodum S.R.E. Cardinalis Tit s. Clementis factus eſt. Vir admodum inſignis pietate, vt ex ipſius Cænotaphio in Eccleſia apparet ſancti Clementis.

Heu decus, heu lumen, tibi nunc domus inclita ſancta
De Aloſio, periit, tuus ipſe colendus Henricus
Hac requieſcit humo, primum qui tempore longo
Præſul in vrbe fuit. Derthonæ, dehinq. Papiæ
Poſt Mediolani, ſacer Archiepiſc. inde,
Pro virtute ſua, rubeo fuit, ecce galero,
Per Papam Eugenium donatus in ordine quartum.

Hic pius, hic ſapiens, hic iuſtus, caſtus, honeſtus;
Seruorumq. Dei protector, in omnibus ardens,
Hic teſtamentum renuit ſibi condere dicens
Cuncta fore Eccleſiæ; ſe cuncta relinquere Chriſto
Qui dedit, ac tandem cum ſexaginta ſubiiſſet,
Annorum ætatem, Iubilei tempore ſancti,
Mille quadringentis & quinquaginta ſub annis
Atque die quarta Iulij deuotus, & almus,
Spiritus ille ſuus, Felix ſuper aſtra volauit.

CXII.

NIcolaus Amidanus, ciuis Cremonenſis: Nicolaus V. Pont. primo Placentiæ Epiſcopus deinde ab eodem Pontifice Archiepiſcopus Mediolani creatus.

CXIII.

GAbriel Sfortia, ordin. Eremit. S. Auguſtini, ſcientiæ, & profeſſionis Theologicæ eruditiſſimus, diuiniq. eloquii præco celeberrimus, Franciſci Sfortiæ, Ducis frater, ob priuatam in humili fortuna, amicitiam a Nicolao V. Pont. Archiepiſcopus creatus.

CXIV.

CArolus huius nominis primus Foroliuienſis, monachus & Abbas S. Celſi, á Caliſto tertio Pont. Archiepiſcopus creatus.

CXV.

STephanus Nardinus Foroliuienſis: Pauli ſecundi Pont. familiaris, ab eodem Pont. Archiep. creatus, deinde S. R. E. Cardinalis Tit. S. Mariæ Tran-

Tranſtiberim ab eodem Pont. factus: in pauperes eleemoſynis largus: Romę Collegium Nardinum inſtituit in regione Parionis, in quo pauperes ſtudioſi gratis alerentur: Hoſpitali Lateranen. multa bona donauit.

C XVI.

IOannes huius nominis tertii Arcimboldus ciuis primum Nouariæ Epiſcopus á Paulo ſecundo Pont. factus: deinde á Xyſto IV. Pont. S. R. E. Cardin. Tit. SS. Nerei, & Archilei: poſtmodũ Archiep. creatus: vir iuris ciuilis ſcientia excellens, morum grauitate, animiq. virtutibus ornatiſſimus, Baſilicam Archiepiſcopalem reſtaurauit.

CXVII.

GVido Antonius Arcimboldus ciuis: Ioannis Cardinalis, & Archiepiſcopi frater, ab Innocentio VIII. Pont. Archiepiſcopus creatus.

CXIIX.

OCtauianus Arcimboldus ciuis: Pii III. Pont. familiaris, ab eodem Archiepiſcopus deſignatus, vtriuſque ſignaturæ Referẽdarius ſcientia, & doctrina illuſtris.

CXIX.

HIpolytus huius nominis primus Eſtenſis Alphonſi Ferrariæ Ducis frater, S. R. E. Cardinalis, ab Alexandro VI. Pont. Archiepiſcopus deſignatus: vir admirabili prudentia, & iudicio, in tractandis rebus arduis, & magnis, admirandus ab omnibus Europæ regibus ſummopere dilectus, & maximo in pretio, & honore habitus.

Hipo-

CXX.

HIpolytus huius nominis ſecundi, Eſtenſis Alphonſi Ferrariæ Ducis filius, á Leone X. Pōt. Archiepiſcopus deſignatus deinde á Paulo tertio & á Pio iiii. Pont. ad Gallorum Regem, cum poteſtate legati de latere miſſus adminiſtrauit Eccleſiam Mediolanen. xxxiii. annis.

CXXI.

IOannes Angelus Arcimboldus ciuis: primum a Clemente vii. Nouariæ Epiſcopus deinde a Iulio tertio Pont. Archiepiſcopus creatus.

CXXII.

PHilippus Archintus ciuis: maximus iuriſperitus Pauli tertii Pont. in Vrbe Vicarius generalis ab eodem primo Epiſcopus Salutiarium creatus: deinde á Paulo iiii. Pont. ex Vicario Vrbis, Archiepiſcopus Mediol. creatus: ob Archiepiſcopalem iuriſdictionem tuendam multas moleſtias perpeſſus: Bergomi moritur. Sed inde Mediolanũ reducitur, & in Baſilica Cathedrali ſepelitur.

CXXIII.

CArolus huius nominis ſecundus ciuis Giberti Borrhomæi Aronæ Comitis, & Margaritæ Pii IV. Pont. max. ſororis, filius; primo Abbas S. Gratiani Aronenſis, & Iuriſconſultus: poſtea a Pio iiii. Pont. max. vix adulta ætate Cardinalis S. R. E. & Mediolanenſis Archiepiſcop. creatus: quam a puero probitatem, ſapientiam, pietatemque præſetulerat, poſtea egregie præſtitit. Ampliſſima quæq; eccleſiæ Romanæ negotia viuo Auunculo

culo adminiſtrauit: litteras, litteratosque viros magna voluntatę,& liberalitate cōplexus eſt. doctrinarum ſtudia aſſidue coluit. Cum ad eccleſiam ſuam veniſſet, quam præſens annis prope vignti adminiſtrauit, pietatis, religioſæque diſciplinæ cultū ſingulari quodā feruore aggreſſus, in diesq. conſtantiſſime progreſſus; antiquā monachorum, anachoretarumque vitæ aſperitatem huic ſæculo repræſentauit. Epiſcopali ſolicitudine, & vigilantia, tum mirabili quodam mentis ardore; & in ſalute animarum curanda; & in rebus eccleſiæ gerendis, Athanaſios nobis, Baſilios, Ambroſiosque referre viſus eſt. Epiſcopalem concionum, & aſſiduorum laborum exercitationem renouauit. eccleſiaſticam libertatem incredibili conſtantia, animique fortitudine vindicauit. Eccleſiarū, rerumq. eccleſiaſticarum dignitatē, & ſplendorem: ſacrorum rituum, cœremoniarumque decentiam; cleri mores, doctrinamque reſtituit. ſolidam populorū pietatem excitauit. Ampliſſimorum redituum beneficiis, & officiis ſponte ſe abdicauit atq. libere ſummo Pontifici dimiſit. Concilia Epiſcoporum Prouinciæ ſuæ, tertio quoque anno, mira tum celebritate, tum ſplendore habuit; ſynodos itē dioceſanas ſingulis annis, multis conſtitutionum libris; plurimis item aliis ſcriptis editis omnem ferē eccleſiæ recte, & ad optimam antiquorum normam gubernandæ, rationem complexus eſt. Præcipuas ferē prouinciæ ſuæ diœceſes Apoſtolica auctoritate luſtrauit, & optimis eccleſiaſticæ diſci-

ſciplinæ inſtitutis conformauit. Celeberrima collegia multa fundauit, tum ad clericos non ſolum diœceſis ſuæ, ſed Heluetios quoque, & Rhetos rereligioſe reſtituendos; tum ad nobiles adoleſcentes laicos Mediolani, ũicinique chriſtiane educandos, & erudiendos. In ædium ſacrarum, aliarumq. piam, & prope immenſam ædificationẽ ſumptus maximos fecit. Regularium hominum collegia inſignis pietatis, & doctrinæ in vrbem deduxit; amplis eleemóſynis, reditibusq. iuuit. omnium doctrinarum ſcholas ex ſocietate Ieſu inſtituit, reditibuſq. confirmauit. Corpora ſanctorum, quæ plurima ſunt in eccleſia Mediolanenſi, feré omnia recognouit, ſolemni celebritate tranſtulit, aptiuſque, ac honorificentius recondidit. ſummos, medios, infimos, mira liberalitate, & charitate hoſpitio ſuſcipere ſolitus fuit. Populo grauiſſima peſtilentia laboranti conſtantiſſime affuit; frequenter omnibus locis iuuit. eleemoſynis iuuit; ſanctiſſima ſacramenta miniſtrauit; ſe ſuaq. omnia pro eius incolumitate, præclariſſimo, & fere inaudito exemplo, deuouit; neq. deſeruit, niſi mirabiliter, & breui tempore liberatum. Rhetorum Populos ad catholicam fidem traducere Apoſtolica auctoritate feliciter cœperat; magnaq. commouerat prudentia, auctoritate, ſprirituſq. ardore de ea re expectationem. Poſtremo cum Eccleſiam Mediolanenſem in maximis difficultatibus, ſingulari conſtantia, & vigilantia diu adminiſtraſſet, cum illum, tamquam ſanctitatis, omniumq.

Eccle-

Eccleſiaſticarum virtutum exemplar vniuerſus orbis intueretur; omnes ſuſpicerent, & vererentur; Pontificibus, Regibus, omnium ordinum hominibus eſſet chariſſimus, diuina prouidentia in Varalium montem abductus, admirabili diuinarum contemplationum exercitatione multos dies ſpiritu corroboratus, ſimul atq. ad ſedem ſuam rediit, obdormiuit in Domino, 4. non. Nouembris. M.D.XXCIV. Luctus fuit ex eius morte poſt hominũ memoriam maximus: ſepultus eſt, quemadmodum iuſſerat, prope extremi chori Eccleſiæ maioris gradus, vt ſepulchrum pedibus ingredientium terendum ſit; appoſitumq. eſt epitaphium, quod ipſe confecerat. Carolus Cardinalis S. Præxedis, Archiepiſcopus Mediolani, frequentioribus cleri, populi, & deuoti feminei ſexus precibus ſe commendatum cupiens, hoc loco ſibi monumentum viuens elegit. Id cum mulieres Mediolanenſes audiſſent, ſacris officiis, ſuffragiiſq. eius memoriam pie, atque honorificentiſſime proſecutæ ſunt.

CXXIV.

GAſpar vicecomes ciuis, ex comitibus Tontaneti primo in Ticinenſi Gimnaſio Iuris profeſſor ordinarius. Romam a Gregorio XIII. Põt. Max. accerſitus Auditor Rotæ cuatur. Paulo poſt ad Inſulam Melitenſem tanquam Pontificis delegatus, ad ſedandas ſeditiones & rumores inſurgentes inter equites S. Ioannis Hieroſolymitani miſſus; vbi ſumma prudentia & conſilio rebus ad nu-

tum Pontificis compoſitis Romam rediens ab ipſo Pontifice Nouarienſi Eccleſiæ præficitur. Mox defuncto Carolo Cardinali Borromeo Mediolanenſis Archiepiſcopus ſumma omnium exultatione declaratur.

Auctores ex quibus collectæ, & contextæ ſunt vitæ Archiepiſcoporum vrbis Mediolani.

S. Ambroſius.
Amianus Marcellinus.

Annales, & hiſtoriæ,
- *Vrbis Bergomi:*
- *Vrbis Brixiæ.*
- *Vrbis Genuenſis.*
- *Vrbis Mediolanen.*
- *Vrbis Papiæ.*
- *Vrbis Rauennæ.*

S. Antonius in chronicis.
S. Auguſtinus.
Bibliothecarius.
Bartholomæus epiſcopus Vrbinas.
Bartholomæus Platina *in vitis* Pont.
S. Baſilius epiſcopus, in epiſtolis.
Beda in hiſtoriis.
S. Bernardus in epiſt.
Beneuentus in libro Auguſtali.
Carolus Sigonius.
Caſſianus in hiſto.

Caſſio-

Caſſiodorus in hiſto.
Commentaria exarchatus Rauennæ.
Commentaria Rheginonis de ſucceſſione Caroli *Magni.*
Epiphanius.
Euſebius in hiſto.
Ex epiſtolis diuerſorum Summorum Pont.
Ex Tomis Conciliornm.
Ex hiſtoria Longobardorum.
Ex tabulis Eccleſiæ Mediolanen.
Ex tabulis marmoreis Romæ.
Faſſiculus temporum.
Freſculo Epiſcopus in ſuis hiſto.
Georgius Merula.
Giornandus de ſucceſſione regnorum.
S. Gregorius Papa primus.
Gottifredus Viterbenſis.
Galeſius.
Henricus Mutius in lib. de reb. Germa.
Hiſtoriæ exarchatus Rauennæ ad Adrianum VI. Pont.
Ioannes Chryſoſtomus
Ioannes monachus
Ioannes Tritemius
Iulius Capit*olinus*
Iſidorus
Leonardus Aretinus
Matthæus Palmerius
Metaphraſte
Michael Riarius
Nauclerus
Nicephorus Calixtus

Ottho

Ottho Friſingeſis
Paulinus in vita Ambroſij
Paulus Conſtantinus
Paulus Emilius
Paulus Iouius
Pomponius Lætus
Raphael Volateranus
Ricardus Cluniacen. in ſuis hiſto.
Robertus Abbas
Rodulphus Tungrenſis
Ruffinus

Romæ, in Eccleſia ſancti Sebaſtiani in lapide Marmoreo, hæc leguntur.

Tempore Domini Calixti Papæ II. Congregatio ordinis Ciſtercien. decreuit non. Nonemb. quot annis anniuerſarium celebrare, pro anima nobilis viri Alberti de Oldradis, qui intuitu B. Patris noſtri Bernardi; Monaſterium de Cerete, in agro Laudenſi, propria ſubſtantia fundauit, & dotauit, & congregationi Ciſtercienſium D D.

LAVS DEO.

Bu. 7

14. A 15.

Digitized by Google